DE MATHIA CASIMIRO SARBIEVIO POLONO E SOCIETATE JESU HORATII IMITATORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM CONSENSU ET AUTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
(PRIMAE SECTIONIS)
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN
UNIVERSITATE LUDOVICA-MAXIMILIANA MONACENSI
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

FERDINANDUS MARIA MUELLER
RHENANUS.

MONACHII
EX TYPOGRAPHIA DRIS. C. WOLF & FILII
MCMXVII

PROPOSITA DISSERTATIO EST NONIS MAIIS MCMXVII.
AD ORDINEM RETTULERUNT WEYMAN ET VOLLMER.
EXAMEN RIGOROSUM HABITUM EST XI KAL. JUNIAS.

BEATISSIMAE · COELESTI
REGINAE · PACIS
SACRUM

PROOEMIUM

Die beiden Literaturen (latein. und griech.) sind zeitlich nach rückwärts und vorwärts unbegrenzt.

Ed. Norden.

Imitatores Horatii, qui a priscis temporibus [1]) usque ad nostra nunquam defuerunt, inde ab exeunte medio aevo maximam partem post alios collegit Ed. Stemplinger: Das Fortleben der horazischen Lyrik seit der Renaissance, Leipzig 1906. Qui cum ut tantus labor postulavit, plurimos breviter recensere quam uniuscuiusque opera penitus perquirere maluerit, restat, ut quod unus necessario reliquit, a pluribus deinceps philologis paullatim suppleatur. Omnium autem, qui pleniore inquisitione indigeant, me maxime allexit Polonus ille poeta suo tempore celeberrimus: *Mathias Casimirus Sarbievius,* [2]) cuius carmina inde a XV annis assidue versavissem. Hunc enim et Stemplinger l. c. p. 26 inter illos collocat, qui summa arte floruerint et multi alii viri litterarum periti magnis extulere laudibus. Inter alia haec de eo posuit Adrianus Baillet [3]) postquam reiecit Aristotelis opinionem dicentis a septentrionibus magna ingenia non esse futura: Car quand il ne nous seroit resté de tous ses ouvrages, que les quatre livres de ses Odes avec celui de ses Epodes, et celui de ses Epigrammes, cela suffiroit pour pouvoir l'opposer à plusieurs d'entre les beaux esprits, que la Grèce et l'Italie ont produits dans le temps même de leur plus grande

---

[1]) Qui per antiquitatis saecula fuere inde ab ipsis Horatii aequalibus usque ad Venantium Fortunatum imitatores partim delineavit, partim accuratius descripsit M. Hertzius (Analecta ad carminum Horatianorum historiam, Vratislaviae MDCCCLXXVI usque ad LXXXII), cuius in posteriora saecula collecta adversaria excipiens continuavit M. Manitius (Analecten zur Geschichte des Horaz im Mittelalter, Göttingen 1893) usque ad annum MCCC.

[2]) Hoc gentili nomine poeta II 4, 6 fratrem suum et omnes aequales eius ipsum appellant; II 5, 88 cogente metro contraxit in *Sarbivium;* polonice dicebatur *Sarbiewski.*

[3]) Iugemens des Savans sur les principaux ouvrages des Auteurs. Amstelodami MDCCXXV tom. IV p. 226 sq.

fécondité. Jo. Fr. Cramerus[1]) vocat eum lyricorum nostri temporis sine controversia principem, quique ad divinam Flacci vim ingenii et venustatem proxime accedat et omnibus profecto Galliae poetis, saltem in hoc genere carminis palmam praeripiat. — Hugo Grotius vero Sarbievii aestimatione adeo abripitur, ut teste Ludovico Auberio[2]) hoc ultra verum ausus sit: „Non solum aequavit, sed interdum superavit Flaccum." — Dan. Georg. Morhofius[3]) ita iudicavit: E recentioribus primas ego tribuo Georg. Buchanano, cuius tersissima latinitas, elegans dictio et plane ad genium lyrici carminis informata est, quamquam non adeo sublimis, ut esse debere censent, qui oden proxime ad heroici carminis dignitatem accedere cum Scaligero arbitrantur atque *ut est Math. Cas. Sarbievius, qui etiam affectat metaphoras excelsiores, de cetero inter optima sane lyricorum exempla ponendus.* Etiam Brücknerus[4]) eum nominat maximum eorum poetarum Latinorum qui ex Polonia orti sint et multa alia in eius laudem disserit.[5]) Ceterorum denique laudatorum eius loco unus sufficiat Langbeinius[6]) qui talem esse censuit, quo non alius (recentiorum) in cogitationibus sublimior, argutior nobiliorque in sententiis, in comparationibus audacior simulque felicior, in inventione ingeniosior, in ordine aptior, in oratione elegantior esset.[7]) Adversantur ei in primis: Angelus Maria Durini in praefatione ad Simonem Simonidem, Varsaviae 1772;[8]) K(ergomard, Jules?) in Nouvelle Biographie générale, Paris 1844, vol. 43, col. 330; Bormans, J. Henr., Comparatio Horatii et Sarbievii,

---

[1]) Vindiciae nominis Germanici contra quosdam obtrectatores Gallos. Amstelodami MDCXCIIII p. 13 sq.

[2]) Memoires pour servir à l'histoire de Hollande et des autres Provinces-Unies. Paris MDCLXXXVII p. 438 (MDCLXXXVIII p. 397).

[3]) Polyhistor litterarius, philosophicus, practicus. l. VII c. III Lubeci MDCCXXXII p. 1067.

[4]) Dr. A. Brückner, Geschichte der polnischen Literatur, Leipzig 1905 p. 176.

[5]) cf. etiam Vicesimus Knox, Moralische und litterarische Versuche, übersetzt von J. P. Bamberger, Berlin 1781, pars I p. 162 sqq.

[6]) Lebrecht Gotthelf Langbein, Commentatio de Math. Cas. Sarbievio. Dresdae MDCCLIII p. 131.

[7]) Haec variorum de eo testimonia, cum ipse contulissem, postea minoribus intermixta reperi ab A. J. Rathsmann, M. K. Sarb. Vratislaviae MDCCC, p. XXXIII ad XLVIII.

[8]) cf. Maximilianus Kolanowski, De Math. Cas. Sarbievio Poloniae Horatio. Dissertatio philologica Berolinensis 1842 p. 6, 79, 86, 90.

Leodii 1842, passim. Hi omnes ei nimiam in sententiis obscuritatem aut phantasiae ardorem obiiciebant qui modum excederet, sed non inepte refelluntur a Baumgartnerio;[1]) ex parte tamen concedere videntur Baillet (l. c.) et Knox-Bamberger (l. c.).[2])

Licet igitur non praestiterit quod imitatus carmen Horatianum III 13, redux Roma in patriam ad Sonam fontem ultimis versibus vovet (Epod. II):

> Fons innocenti lucidus magis vitro,
> puraque purior nive,
> pagi voluptas, una Nympharum sitis,
> ocelle natalis soli
> longis viarum languidus laboribus,
> et mole curarum gravis
> Tuscis ab usque gentibus redux, tibi
> accline prosterno latus.
> Permitte siccus, qua potes, premi; cava
> permitte libari manu.
> Sic te quietum nulla perturbet pecus,
> ramusve lapsus arbore:
> sic, dum loquaci prata garritu secas,
> et laetus audiri salis,
> assibilantes populetorum comae
> ingrata ponant murmura
> tibi lyraeque vatis. Haud frustra sacer,
> nam si quid Urbanus probat,
> olim fluenti lene Bandusiae nihil
> aut Sirmioni debeas

(neque enim Catullianum ardorem neque Horatii elegantiam aequiperavit): dignus tamen est qui a Flacci amicis crebrius legatur et attentius inspiciatur a philologis. Nam ne inter laudatores

---

[1]) Geschichte der Welt-Lit. Freiburg IV p. 644.

[2]) Ceterum de nominibus propriis ac geographicis quae in carminibus inserta sunt, etiam Knoxius aequo acerbius iudicare videtur cum ea omnia barbariei coarguit. Inter mille et tredecim ego numeravi centum octoginta quinque, quae ob formae barbariem aurem offendant. Nam quae ex recenti quidem radice, tamen ad normam ac sonum veterem apte finxit, ut *Libinius* (IV 12) vel *Dantiscus* (IV 8) non ausim respuere; contra *Zadzicius* (ep. 18, 32) et *sol Wollowiciadum* (ep. 7, 66) iure, mea quidem sententia, vituperantur.

quidem eius adhuc repertus est, qui ad critices normam carmina eius revocaret eo fine ut ostenderet, quibus locis Horatii vestigia fideliter secutus sit (praeter quaedam a Kolanowski l. c. congesta), quomodo metri leges more veterum observaverit, quid de grammatica, quid de stilo eius dicendum sit.

Istis igitur praesertim capitibus totum complexus ostendam, quantum gloriae ac luminis in ipsum Venusinum poetam refluat, qui tantum habuerit sui aemulum.[1])

---

[1]) In quo faciendo si quis initam methodum nimis aridam ac ieiunam criminetur, respondeam cum Sabatio, qui (Eos III, 1896, p. 3) eandem accusationem, quod disputatiuncula eius (de re simili) potius in enumerandis exemplis quam in argumentis inde deducendis versetur, ita bene reiicit: non posse de summa vere iudicari nisi singulis rite perpensis neque de peculiaribus scriptoris apte statui, nisi materie, quae res comparandas iuvet, undique religiosissime congesta.

DE VITA SARBIEVII

Sed antequam ad opera eius propius accedamus, nonnulla videntur de vita eius praemittenda. Enimvero ab Horatio moribus ingenio religione plurimum distat, tamen accuratius intuenti quaedam reperiuntur, quibus sibi, singulari quodam fato, similes esse videntur.

Natus ille quidem humili loco a libertino patre est,[1]) hic e gente olim illustrissima Prawda,[2]) quam ad Polonos ex Italia descendisse credebant: VI Kal. Mart. MDXCV in pagello Plonscio. Horatius Venusia litterarum causa Romam a patre ductus,[3]) hic e sede gentilicia Sarbieviorum puer Pultoviam secessit, ubi Graecis Latinisque litteris eruditus est. Nullum extimuit Orbilium,[4]) tamen tanto successu paullatim profecit, ut aetatem pueritiae nondum egressus, lyrica carmina componeret, nam praeterlabentem Narviam fluvium[5])

tum primum Calabra personuit fide

ut ipse II 15, 18 perhibet. XVII annos natus eorundem Jesuitarum, a quibus doctoribus adeo feliciter institutus fuit, absoluta ex more temporis rhetorica, societati nomen dedit, et sequens biennium, id quod sollemne monachorum est, ad mores informandos totum absumitur. Post haec tres annos non quidem inter silvas Academi verum quaesivit, sicut quem aemulabatur Athenis,[6]) sed Brunsbergae morabatur in aulis, quae ab Academo et ipsae nominabantur philosophiam limpidissimis ex fontibus avide hauriens.

---

[1]) Hor. III 30, 12 et serm. I 6, 45.

[2]) ed. Walliana p. VII.

[3]) Hor. serm. I 6, 76.

[4]) Hor. epist. II 1, 70.

[5]) Etiam hunc fluvium ideo forte immiscet carmini, ut aliquomodo imitetur illud Horatii III 30, 10 *dicar qua violens obstrepit Aufidus.*

[6]) Hor. epist. II 2, 45.

Ita mature praedoctus syntaxin ac poesin Crosis, in oppidulo Samogitiae, rhetoricam[1]) vero in collegio Polocensi explicuit. Quanti fieret a praesidibus suis, iam tum documento fuit, quod etsi sacris nondum initiatus, adolescentes societatis ad humanitatem politiorem magister excolere iussus est: hoc enim deferri non solet nisi ad maxime probatos. Tum anno MDCXXII postquam in theologiam Vilnae biennio incubuit, felicissime accidit, ut ad haec studia conficienda tandem Romam mitteretur, ubi tot egregiis artificiis monumentisque maiestatem antiquitatis velut praesentem cernere et doctissimorum virorum commercio ardens ingenium eius in dies ditescere poterat.

Hoc iter Romanum, quemadmodum Horatius illud Brundisinum, 292 versibus non illepide descripsit (ed. Walliana p. 286 sqq.), facilitate tamen et dictione plane Ovidiana ita incohans:

Ibis Hyperboreos non segnis, epistola, campos[2])
Qua riguus patriam Vistula lambit humum.

Omnes igitur huius viae vices pulcherrimis distichis[3]) percurrit, sed diutissime (a v. 77 ad 178) immoratur, cum armatorum latronum e silvis prope Bambergam incursionem in se comitesque describit. Quibus raedam suam pecuniae cupiditate undique circumfusis cum et enses sibi mucronesque intenderentur et

Crebra repentini praenuntia machina leti,
Atque volaturis fistula foeta globis

inermes ingenti timore percelluntur, socius „barbara dextra solo affligitur“, ipse vero poeta, qui arma nunquam tetigerat, aufugisse se confitetur,[4]) non magis certe vituperandus quam ille qui „relicta non bene parmula“[5]) ad Philippos aere denso a Mercurio sublatus est. Exceptum vicini agrestes cibo ac requie restituunt et cum invento quem mortuum putaverat socio coeptum iter persequitur.

---

[1]) Wall. p. VIII.

[2]) cf. Stat. silv. IV 4, 1:

Curre per Euboicos non segnis epistola campos.

[3]) Simile iter eodem metro descripsit Cl. Rutilius Namatianus (v. ed. J. Vessereau, Parisiis 1904) et perdifficile dixerim, uter utrum elegantia superaverit.

[4]) Fortasse festivo quodam ioco illam Horatii fugam se imitatum esse simulans.

[5]) Hor. II 7, 10.

Romam cum pervenisset, suorum adiunctus collegio, ubi

... in Apollineos aliam Parnassida ludos
Hippocreneae constituere deae,

statim studia theologica continuare coepit, inter quae aestate MDCXXIII circa pentecostes sollemnia sacerdotio initiatus est. Ne tunc quidem inter severiorum disciplinarum occupationes abstinuit a lyra, et cantus sui suavitate litteratorum hominum aures ita permulsit, ut omnium amorem admirationemque mereretur et amicitiam iniret non paucorum. Inter quos Franciscum Barberinum purpuratum curiae principem mox a sacro collegio electum summum pontificem egregio carmine celebravit, quod Wallius suae editioni p. 346 ad 359 nunc primum inseruit. Totum vates allegorice contexuit non insulse, sicut multa, quae tunc temporis vulgo pangebantur, sed Poloni animi ardore „speciosa miracula promit“: Aestatem Italia exituram retinet Augustus saeculi aurei felicitatem praetendens, quod regnante novo pontifice futurum sit. „Ambo dein, ita Wallius (nam breviloquentiam eius superare nequiquam contendo), procurata rite Italia, studio gratificandi novo pontifici, in longinquam aurei saeculi insulam proficiscuntur; ea est una fortunatarum incognita, quae iam inde a multis saeculis exulantes aureae aetatis annos, suo in complexu, procul ab aditu mortalium fovet. Eo ut Aestas et Augustus pervenere, aureum primum summi pontificis diadema in aurei saeculi officina fundi, palliumque contexi pontificium iubent. Deinde frequentissimum aureorum annorum comitatum adsciscunt, atque in Italiam revehunt, longoque post temporum intervallo repetitum aureum in Latio saeculum condunt“. — In tantam vero huius pontificis gratiam ac familiaritatem brevi Sarbievius ascendit, ut in eadem raeda cum illo per urbem veheretur, publicoque ac sollemni vatem ritu, neque ullum postea praeter ipsum, lauru poetarum insigni coronaret.

Autumno MDCXXV priusquam in patriam rediret, a pontifice aureo numismate, cui ipsius effigies erat incusa, donatus est, quod ad collum suis ipse manibus summa cum benevolentia pontifex suspendit.

Gratius tamen ei donum quam isti honores, divitiae inde haustae animi, excultius iudicium, maturior pulchritudinis sensus, acquisita etiam a doctissimo Alexandro Donato antiquitatis notitia. Hoc enim peritissimo duce per publicas privatasque collectiones

omne genus monumenta cognoverat, quae cuncta feracissimae in uberi ingenio radices fuerunt tot elegantium poematum. Ita facile conicias, quanta mentis lucra secum Athenis asportaverat Horatius, non multo minora ipsum collegisse Romae. Neque igitur mirum est, hilaritatem eius in tristiculum itineris comitem abundavisse, sicut ode IV 14 manifestum fit. Hac in via videtur Carpatum adiisse montem, in eiusque conspectu celebre illud ad equites Polonos (IV1) carmen composuisse gravitatis plenum et amorem patriae spirans. Decem annis qui sequuntur usque ad MDCXXXV rhetoricam philosophicam theologicam disciplinas diversis locis tanto ubique fructu tradidit, ut philosophiae doctor declararetur et ornaretur laurea.

Tunc autem, ut Ladislao IV morigeraretur, iubentibus praesidibus suis, munus suscepit oratoris sacri et theologi regii, non minus dignitatis honorisque apertum documentum, quam ut epistulae eius ostendunt, infinitarum aerumnarum perpetuum fontem. Otii ac solitudinis amator similis Horatio [1]) domum ad suos Varsaviae confugiebat, quotienscunque regi praesto esse non debebat; cum vero ad diuturnas venationes eum necessario comitabatur, continuit se in silvestri tugurio, ut narrat ipse, ventis imbribusque pervio, ibique sacras exarare orationes solebat. Sed etiam silviludiorum librum in huiusmodi casa, ceteroquin ad talia peridoneo loco composuisse se dicit ita et regi et aliis acceptum, ut ad numeros musicos aptaretur. Paullatim igitur regis benevolentiam [2]) non solum, verum etiam pietatis et doctrinae existimationem ita sibi devinxit, ut eum princeps, quo plus esset honoris habiturus, theologi quoque laurea coronari vellet, quae ei gloria III nonas Iulias MDCXXXVI rege ac nuntio apostolico praesente, stipantibus multis aulae proceribus Viliae in academia contigit.

At etiam in tantis talibusque summorum virorum laudibus ac plausu, quibus multi solent intolerabili tumore deformari, summa permansit modestia, quod manifestum fit ex epistulis, [3]) quas ad

---

[1]) cf. Hor. III 29, 12 et epist. II 2, 77 ad 80.

[2]) cf. Wallius p. XI.

[3]) Ceterum epistularum eius fragmenta quotquot editionibus inspersa sunt, elegantia dictionis et eruditione ita legenti commendantur, ut saltem reliquias earum in unum corpus collectas — nam maximam partem periisse creduntur — unacum ceteris eius operibus oratione soluta scriptis e situ bibliothecarum in lucem edi vehementer cupiamus: sunt enim dignissimae.

Lubienium[1]) episcopum Plocensem frequenter dedit. Qui cum fuerit amicorum eius longe maximus,[2]) Maecenas et Musarum suarum praeses ac iudex ab eo appellatus, interdum nostrum perinde ac si currentem instigaret, ad carmina componenda monuit. Eo igitur tempore votis eius obsecundans Bugum[3]) et Narviam[4]) natales sibi fluvios celebravit, etiam alia quae certo designari nequeunt, vel eius instinctu vel in gratiam eius cecinisse videtur. –

Aestate MDCXXXVIII[5]) una cum Ladislao rege ad aquas Badenses profectus est, non tam soliti officii ut videtur causa, quam morbi levandi, quo et ipse saepicule tentabatur. Unde cum rediisset paulum confirmatus, mox iterum coepit vehementius affligtari, nam oratoris munere cui quinquies interdum intra septem dies satisfaciebat et Lechiade[6]) limanda vires eius attenuabantur. Sed in hac quoque corporis aegritudine, cui molestissimi accedebant malevolorum susurri ac mendacia, non erat exsors constantiae et ioci. His enim verbis scripsit Lubienio: „Male vellem Lituaniae, si liceret, si non mox invisenda esset: quod hesterna die olere illo suo adeo mihi valetudinem afflixerit, ut etiam in lectulo prostraverit. Itaque sicut Horatius in allium,[7]) ita ego in betam mordaci aliquo iambo debaccharer" et postridie: „.... cave meum carmen videant Lituani!" Sequens biennium inter consueta munia tranquillus degebat, Deo, Musis, paucis amicis, ut quondam scripserat, tempora dispertiens, donec MDCXL acerbissima fati vicissitudine eaque ultima correptus est. Etsi olim cecinerat (II 16, 46 sqq.):

Non ego civium
Ab ore pendebo, aut protervis
Invidiae dabo terga telis,

[1]) Haec ad eum quondam: „... pudet enim me tantopere a te laudato et erudito viro laudari. Quare fraterne a te peto, ne deinceps futurae imponas aetati, sed ea de me scribas quae in me cernis, non quae fingi possunt." cf. Stanislai Lubienski opera postuma, Antverpiae MDCXLIII p. 464.

[2]) cf. Wall. p. XVI: „... mihi vaco ac Deo, ac paucissimis amicis, quorum tu summa coronis."

[3]) epod. 15.

[4]) II. 15.

[5]) Hoc tempore et III 21 compositum esse putaverim, licet nullo bibliographi testimonio probetur.

[6]) „Lechias" qua stilo epico ad exemplum Vergilii regni Poloni fata cecinit, praeter pauca fragmenta periit.

[7]) epod. 3.

tamen aulicam vivendi rationem et amaras illas cavillationes dudum perosus erat. Continuis igitur precibus eius ut ab illo strepitu invidiaque dimitteretur rege tandem annuente, Varsavia Viliam ad suos iam festinantem nuntius revocat, ut in alicuius nobilis advenae gratiam eum audire cupientis sequenti die contionetur. At ille quidem cum tergiversari apud magnates putaret non decere, summa virium suarum imbecillium attentione ut rem feliciter expediret enixus, e suggestu descendens inanimis corruit. Apoplexia concussus tertio die cessit e vita. Sed sicut Horatium Maecenas suus morte non multum praecesserat, ita hunc Lubienius, quem Maecenatis loco habuerat, post XV dies moriens secutus est.

Ad tam praestantis poetae memoriam conservandam numisma excusum, imago ad vivum depicta, statua effícta est, sed paene nobilior apud exteras nationes fama poeseos factus esse videtur quam domi monumentis. Nam ne corpus quidem eius ubi lateat certo scitur quem vivum quasi certatim[1]) celebraverant. Attamen, ut verum fateamur, non parvus eum ubique numerus litteratorum virorum summo semper honore habuerunt, id quod numerosae carminum eius versiones ostendunt. Alliciebat enim doctissimum quemque amabilis quidam qui se versibus eius sponte infuderat candor animi, pietas etiam integerrima, exquisita dictionis elegantia quam indefessus in perpoliendo labor expresserat.[2]) Quamquam incredibili in componendo facilitate fuisse a suis affirmatur. Non eum paupertas audax[3]) impulerat ut versus faceret, sed innatus quidam impetus,[4]) quo quidquid temporis supererat, ad Musas movebatur.

Praecipuo autem affectu in amicos ferebatur, et qui se praesides suos nunquam de industria contristavisse gloriabatur, eum praeter solitam aulicorum acerbitatem mutuus omnium amor ad mortem usque prosecutus est. Inter 141 carmina scripsit ad amicos 44,

---

[1]) Ita a. MDCXXXVIII ad eum Lubienius: „... venient in mentem amici et tota cohors tibi bene cupientium ...“ Op. post. p. 465. cf. etiam Sar. IV. 12, 2 sq.: „... cum mihi civium — Amica certatim patescant — Atria ...“

[2]) Ita quondam ad Lubienium: Carmen meum, inquit, votivum neque dum ad umbilicum adduxi; *nihil mihi gravius est, quam dimittere opus infabricatum et adhuc ab igne et incude rubens et impolitum.*

[3]) cf. Hor. epist. II 2, 51.

[4]) cf. ad Lub. „... Quod si aliquid amoenitatis animum incessit, id in carmen, quod tibi mitto, aliaque poemata effudi.“

plerosque, ut equidem crediderim, tecto nomine vocitans. In quo operae pretium esse puto animadvertere, quam sedulo etiam in tantilla re magistrum suum respexerit. *Lycum* enim I 2 et I 7 ex Hor. IV 13 *Lyce* transformavit; *ad Telephum Lycum* ex Hor. I 13, 1 et IV 13 composuit; I 13 *ad Tarquinium* exprompsit ex Hor. serm. I 6, 13; I 14 *ad Julium Florum* ex Hor. epist. I 3, 1 desumpsit; I 23 *ad Laevinium* conferri potest cum Hor. serm. I 6, 19. – II 2, 15 et II 7, 13 ideo forte Publii praenomine appellat quen=dam, quod illud Horatianum in sermonibus II 5, 32 ei obver=sabatur:

„Quinte" puta aut „Publi" (gaudent praenomine molles
Auriculae)

nam illis locis eum aut ad bene operandum incitare aut a vanis querelis avocare conatur, quod sane utrumque in molles debilesque quadrat. – II 8 *ad Asterium* ex Hor. III 7 *Asterie* iterum in masculum nomen mutavit; II 9 *ad Decium* cum Hor. serm. I 6, 20 videtur conferendum; II 27 *ad Claudium Rufum* ex Hor. epist. I 9, 1 et serm. II 8, 58 coniunctum est; – III 5 *ad Publium Munatium* ex Hor. serm. II 5, 32 et epist. I 3, 31 iterum compactum; – III 8 *ad Aelium* ex Hor. III 17, 1 desumpsit, et III 12 *ad Fuscum* ex Hor. serm. I 9, 61 vel epist. I 10. – III 30 *ad Quintum Aristium* iterum composuit ex Hor. serm. II 5, 32 et serm. I 9, 61. – IV 10 *ad Quintum Dellium* ex Hor. II 11, 2 (et alibi saepius) et II 3, 4. – IV 14 *ad Crispum* ex Hor. II 2, 3; IV 15 *ad Munatium* ex Hor. epist. I 3, 31 desumpta sunt.

Neque tamen usquam una cum his nominibus etiam argu=menta ab Horatio aut mutuatus est aut adumbravit, iamque nulla causa praeter lusum et variandi voluntatem indicari potest, cur hoc vel illud nomen ceteris praetulerit.

Verum etiam in hoc fuit docilis magistri sui discipulus, quod non unius se magisterio continuerit. Horatii quidem odas memoriter complexus esse traditur, at etiam Graecos, praesertim Pindarum aliosque lyricos familiarissimos sibi fecisse, insuper Vergilium sexagies, ceterorum autem poetarum unumquemque decies et amplius perlegisse perhibetur. Quod quanta fecerit atten=tione, crebra in ipsius operibus eorum vestigia declarant, ut Plauti, Catulli, Vergilii, Tibulli, Propertii, Ovidii, Lucani, Statii, Persii, Iuvenalis, Martialis, Senecae, Silii Italici, Claudiani (quae infra

indicabuntur), non velut disiecti membra poetae, sed vivo, ut ita dicam, artificio animata.

Ita id assecutus est, ut quae saepissime dicta et audita fuerant, nova et inaudita gratia proferret vel ut melius dicam, si quid de Deo colendo deque patria defendenda caneret, si bellum indiceret vitiis virtutemve laudaret, si armorum gloriam, si pacis commoda celebraret, ea omnia velut iucundissimo saporis temperamento propinaret, cum exquisitissimis condimentis miscuisset. Sane non est, cur poeniteat Horatium discipuli huius, si coram videatur.

DE EDITIONIBUS

Carmina quae scripsit CXLI ad exemplum magistri sui[1]) quattuor libris digessit et uno epodon,[2]) numero versuum, modo in illo sit gloria, longe abundantior: Horatius tria milia septingentos triginta tres, Sarbievius octo milia sescentos nonaginta duos composuit. His igitur carminibus ut iam innuimus sui famam sparsit ubique, non solum in patria, sed paene magis apud exteras nationes: Germanicam, latinorum poetarum paratissimam olim amicam, Italicam, Gallicam, Anglicam, Flamandicam, Bohemicam.

Ipsius Sarbievii manuscriptos, quos ab interitu vindicandos rex Ladislaus IV cuidam academiae Vilnensis magistro mandaverat, periise constat, ubi vero et quando interierint, plane ignotum est. Sed etiam prima odarum collectio inscio ut videtur auctore a nescio quo populari eius publicata est, et quod magis dolendum: antequam integram editionem ipse poeta institueret, repentina morte praeventus est. Editiones[3]) enumerantur duodesexaginta fere:

---

[1]) Artis eius adeo studiosus fuisse traditur, ut Poloni Horatii cognomine et vivus et mortuus insignis fuerit. (cf. inter alia Nova Acta Techn. Eruditt. anni MDCCLVII p. 46 sqq.)

[2]) Adiecta sunt editionibus optimis aliquot opera eius postuma et X silviludia et epigrammata CCLV, quae omnia, licet praeclarissima et a peritis multum laudata, in sequentibus cum Horatio non comparamus, eo quod ab eius lyra sunt absona.

[3]) cf. ed. Walliana p. XXIX sqq.

1625 Coloniae; 12° pag. 8 et 196, continens odas I 1—23; II 1, 2, 11—14, 17—28; III 1—3, 10—23, 28, 32; epod. 1, 6.[1])
1628 Vilnae; 12° pag. 4 et 247; adiectae sunt odae III 24, 25, 29.
1630 Antverpiae; 12° pag. 215; adiectae iterum III 4—9; epod. 7.
1631 Lugd. Batavorum; 16° pag. 236.
1632 Antverpiae; 4° pag. 336; additae sunt III 31; IV 1—36; epod. 2—5.
1634 Antverpiae; 12° pag. 236; additae II 15, 16; III 29, 30; IV 37, 38; epod. 8—12.
1643 Romae; 12° pag. 299. epod. continet 1—12.
1645 Divione; 12° pag. 215; desunt III 29—31 et IV totus. epod. continet 1, 6, 7.
1645 Mediolani; 12° pag. 12 et 264.
1646 Antverpiae; 16° pag. 236.
1647 Lutetiae Parisiorum; 12° pag. 236 et 1.
1647 Parisiis; 12° pag. 339.
1647 Divione; 12° pag. 215.
1647 Divione; 12° pag. 390.
1647 Cracoviae (Editio mixta).
1648 Coloniae Ubiorum; 12° pag. 423.
1648 Parisiis 12°.
1648 Antverpiae.
1652 Coloniae.
1653 Coloniae Ubiorum; 24° pag. 20 et 433.
1657 Lutetiae Parisiorum; 16°.
1659 Coloniae Ubiorum; 16° pag. 423 (et 22).
1660 sine loco (veri simile Vratislaviae) 12° pag. 524.
1665 Parisiis; 12° pag. 24; habet epod. 17, 19, 13, 14, 15, 20, et lyrica quaedam.
1668 Venetiis; 12°.
1669 Vratislaviae (?) 12°.
1681 Calissii; 12° pag. 404.
1682 Coloniae; 16° pag. 423.
1683 Lipsiae; 8°.
1684 Londini; 12°.
1684 Cantabrigiae; 12° pag. 239.
1689 Cantabrigiae; 12° pag. 239.
1689 Coloniae Ubiorum.
1689 Coloniae Ubiorum. 12° (a superiore diversa).
1692 Coloniae; 12°.
1697 Venetiis; 12° pag. 299.
1721 Coloniae Agripp. 8° pag. 424 et 16. additae epod. 13—20.
1737 Gedani; 12° pag. 384.
1737 sine loco. 12° pag. 551.
1747 Vilnae; 12° pag. 24. epod. 17, 19, 13, 14, 15, 20.
1749 Vilnae; 12°.
1753 Vratislaviae; 12° pag. VIII et 376.
1757 Vilnae; 4° pag. 26 et 169.
1759 Parisiis; 12° pag. VIII; 383 et 92.

---

[1]) Epigrammata et alia de quibus supra, omittuntur.

1769 Varsaviae; 8° pag. XVI et 316.
1781 Coloniae Agrippinae; 8° pag. 8 et 424 (et 16).
1791 Parisiis; 12° pag. VIII et 472.
1803 Argentorati; 8° pag. XVI 377 (et 9).
1805 Argentorati.
1814 Dresdae.
1824 Budae; 8° pag. XXIV; 364 et 15.
1824 Alosti (in Batavis); 16° pag. 104.
1830 Varsaviae; 8° pag. XVI 218 (et 4) (paginam 161$^{\underline{am}}$ statim sequitur 190!)
1840 Lipsiae (Teubner); 12° pag. 1 et 313.
1852 Neapoli; 18° pag. 323.
1876 Leontopoli; 4° pag. 1 et 28.

Ex his putatur exactissima quae prodiit Antverpiae MDCXXXIV; plenissima tamen et quae textum habeat ubique sanum (etsi mendis typographi sat multis sed agnitu facilibus maculatum) edita est Staraviesiae MDCCCXCII, cui et adiuncti sunt variantes, quos se editor Wallius ex editionibus annorum 1625, 1628, 1757 fretus critico collegae sui iudicio depromptos fideliter exhibere testatur.

DE METRO

Metris iisdem fere quibus Horatius[1]) utitur ad eadem systemata concinnatis. In

1. **hexametro heroico** synaloephae IV 21, 53 *hinc atque illinc,* in uno carmine IV 30 quatuor: 31 *insigni in,* 35 *campo in,* 41 *centum ibi,* 45 *illa inter.* — In epodo 8 crebriores: 3 *ipsi etiam exiguum,* 5 *ipsi ultro in strictos adversi incurrimus,* 7 *iamque adeo,* 11 *Padusque atque ingens,* 29 *ergo iterum,* 37 *maria omnia ab imo,* 47 *maria et,* 59 *paullatim emergere,* 117 *sibi incumbens,* 121 *tantum everso,* 127 *primi animos.* versus spondiaci, quattuor: IV 21, 49 *praebet formosos.* 53 *nutantibus hinc atque illinc.* IV 30, 41 *hērōīnāē.* epod. 8, 55 *Amphītrītē.* monosyllabum in fine versus semel: epod. 8, 29 *et iam.*

   Neque tmeses neque hypermetri inveniuntur.

   Omnes hexametri sunt 126, in quibus caesura inest trimimeres 27$^{\underline{ies}}$ (= 21%), hephthemimeres 38$^{\underline{ies}}$ (= 30%), penthemimeres 87$^{\underline{ies}}$ (= 69%), semel etiam κατὰ τρίτον τροχαῖον.

---

[1]) Servatus in sequentibus est ordo quem tenuit F. Vollmer, Quinti Horati Flacci Carmina, ed. altera maior Lipsiae MCMXII p. 333 sqq.

2. In **tetrametro catalecto (archilochio)** spondeum in tertio pede nusquam admisit, sed tamen in primo synaloepham: IV 30, 34 *aut vidi aut vidisse putavi.*
3. Intra LXX **senarios** ⏑ – ⏑ – ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –[1]) septies caesuram hepthemimerem posuit:

 epod. 8, 6 *ĕt mutuum cadendō ‖ laudāmus nefas.*
 „ 8, 36 *ōmnesque dissipate ‖ littorum moras.*
 „ 8, 72 *rāmalibus vireta ‖ distīnguent casis.*
 „ 8, 86 *sīncerus et sāevire ‖ nescius liquor.*
 „ 8, 90 *nec aereas dēlubra ‖ lassābunt trabes.*
 „ 8, 102 *ĕt laetus ac sēcurus ‖ in tūrba pudor.*
 „ 8, 114 *et innocens telluris ‖ insūmet labor.*

4. Item in **trimetris** ⏓ – ⏑ – ⏓ ‖ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – pro penthemimeri quater posuit hepthemimerem:

 epod. 1, 93 *quantum suis superbit ‖ et sese suis*
 „ 3, 17 *ut gaudet immortale ‖ mirari iubar*
 „ 3, 69 *sed cereus palumbus ‖ aut turtur niger*
 „ 4, 1 *amemus. an Massylus ‖ aut nostris riget*

 In iisdem sunt arses solutae:
 prima et quarta:
 epod. 1, 11 *et sŏlĭda subter terga scŏpŭlorum arduo*
 altera (et prima thesis):
 epod. 1, 19 *ăgĕretque prŏfŭgum Caesarem et quassum metu*
 altera:
 epod. 1, 47 *crudumque Bŏrĕam frangit impotentibus*
 quinta thesis:
 epod. 2, 19 *olim fluenti lene Bandŭsĭae nihil.*

5. **dimetrum hypercatalectum (versus alcaicus enneasyllabus)** – – ⏑ – – – ⏑ – ⏓ multo frequentius quam in carminibus Horatii, habet primam syllabam correptam:

 carm. I 22, 11 *trĭumphat,* 39 *lĭquentis.* — II 5, 71 *vĭator,* 12, 39 *ĭo,* 16, 31 *tŭoque,* 35 *ĕt arma,* 47 *ăb ore,* 21, 15 *pĕrambulaturus,*

---

[1]) Huius autem Horatiani schematis modum libere inflexit, ut pro brevi syllaba sat frequenter longam sibi permiserit. Nec tamen variavit temere, sed more trimetrorum nonnisi pro primo, tertio, quinto iambo posuit spondeum, si excipis versum 6., in quo spondeus ante caesuram est, et 18., ubi mensus est *dĕēst* in pede ultimo pro *dēēst.* Purus senarius in hoc carmine solus est v. 116: *laboriosus eruat lucri furor.*

27 *pĕriculorum.* — III 14, 95 *ăd usque,* 24, 51 *ĭo,* 26, 19 *fĕrocientis,* 28, 19 *sŭbire,* 30, 107 *bŏnaeque.* — IV 3, 27 *thĕatra,* 4, 91 *ăratra,* 6, 15 *ĭo,* 7, 63 *dŭella,* 8, 59 *fĕrar,* 79 *pĕrisse,* 9, 19 *bĭbere,* 39 *lĕpos,* 12, 3 *ămica,* 20, 11 *Chărybdis,* 29, 7 *rĕducet,* 83 *nŏvique,* 31, 11 *dĕique,* 19 *ăb arce,* 38, 7 *bĕata,* 35 *lătēre,* 103 *ăb hoste.*

epod. 13, 15 *ămoena,* 19 *vĭrere,* 27 *rĕdorsus.* — 17, 51 *dăpes,* 111 *sĕrenus.* — 18, 23 *cŏlonus,* 63 *trĭumphat.*

6. **dimetrum (archilochium)** ⏑̄ ⏕ ⏑ ⏕ ⏓ – ⏑ – habet diiambum in fine etiam crebriorem quam ab Horatio ponitur:

carm. III 15, 6 *rurĭs hospitae,* 9 *perambularĕ patriam.*

epod. 1, 36 *inenatabĭlem Styga,* 70 *Floră marginem,* 94 *cănalibus,* 96 *rură possidet,* 106 *perduellĭbus Notis,* 110 *aură montibus,* 138 *pectŭs otiis,* 142 *perambulabĭs ilices.*

epod. 2, 2 *purĭor nive,* 12 *lapsŭs arbore.*

„ 3, 20 *lucĭs atria,* 32 *aprilibusquĕ feriis,* 40 *arvă fletibus,* 44 *orĕ lilia,* 64 *hospitalĭs amphora,* 78 *vĕl ilice,* 80 *stagnă lintribus,* 92 *rurĭs horrea,* 94 *sŏdalium,* 96 *innocentĭbus iocis,* 98 *trăhit diem.*

epod. 4, 4 *pendĕt oscula,* 14 *bracchĭis rogat.*

„ 5, 2 *ensĭum timor.*

Arsis secunda soluta est;

epod. 1, 18 metŭénda iăcĕret fulmina.

„ 3, 12 errantis ănĭmi colligit.

7. In **monometro hypercatalecto** ⏓ – ⏑ – ⏑̄ syllaba prima creberrime brevis est: carm. II 20, 18 *fŏrumque,* 26 *ĕt urbis,* 30 *Văleriosque,* 40 *rŭdemque,* 44 *nŏvosque,* 52 *ĭnane.* — I 3, 29 *săcer,* 30 *ăcuta,* 42 *ĭmago,* 46 *ăpum,* 6, 82 *bĕne,* 8, 18 *mĭcat,* 10, 49 *tĭbi,* 62 *tŭis,* 65 *dĭu,* 12, 13 *cŭniculosi,* 29 *căpi,* 89 *rĕposcat,* 20, 54 *fŭturus,* 22, 2 *sĭticulosis,* 33 *sŭi.* — II 3, 1 *sŏnora,* 10 *rĕpente,* 5, 5 *sŭbegit,* 45 *ĕt ipsa,* 49 *părum,* 78 *fĕrunt,* 81 *sŭo,* 10, 1 *mĕo,* 2 *hăbere,* 9 *lătēre,* 18 *ămore,* 11, 22 *ĭmago,* 38 *lўras,* 41 *ĭo,* 16, 14 *prŏcella,* 42 *ĕrit,* 66 *sŭos,* 70 *ăgit,* 90 *hăbere,* 94 *păres,* 97 *ĕt urna,* 17, 5 *lăboriosi,* 26 *trĭbuta,* 21, 2 *tŭmultuosi,* 6 *ĭmago,* 24, 13 *tŭo,* 18 *Mĕgaera,* 25 *trĕmens,* 49 *ĭnominatis,* 73 *ĭnexpiato.* — III 5, 14 *sĭmul,* 22 *mĭnor,* 9, 10 *părum,* 26 *sĭbi,* 18, 22 *ăvara,* 50 *Căycus,* 25, 49 *ĕt haec,* 26, 13 *Ăpollinari,* 27, 18 *ĭnaugurato,* 34 *ĭn ore,* 28, 45 *nĕc otiosae,* 29, 38 *sĭnu,* 53 *sŭi,* 97 *ăvita,* 106 *Pănae-*

tianae, 31, 29 *ĭnusitatis*, 30 *părum*, 41 *sĕd ipse*, 50 *ĕt ipse*, 62 *ărundo*, 86 *Stăgira*. — IV 1, 17 *pĕr ora*, 2, 42 *fătiscat*, 3, 29 *bĕatus*, 4, 30 *prŏcella*, 38 *nĭvalis*, 45 *dĭu*, 70 *ĕt una*, 5, 13 *mănus*, 29 *tĭbi*, 46 *pĕr ipsa*, 6, 9 *ĭo*, 22 *sŭb antra*, 37 *dăt ira*, 38 *ăb hoste*, 7, 81 *sătis*, 8, 2 *tĭbi*, 14 *cănam*, 54 *sĭmul*, 9, 9 *nĕc omne*, 12, 22 *părum*, 15, 5 *părum*, 22 *rĕlicta*, 17, 6 *lăborat*, 20, 10 *Mălea*, 50 *tŭere*, 27, 6 *lĭbido*, 41 *hăbebit*, 65 *ăt o*, 29, 6 *ĭnominata*, 46 *cănenda*, 57 *ăt o*, 65 *ĭo*, 89 *sŭa*, 109 *sĕd ipsa*, 113 *sĕd alba*, 38, 10 *rĕperta*, 25 *ăb usque*, 29 *sŭo*, 37 *ăd usque*, 66 *rĕmitte*, 74 *fŭtura*, 110 *ăvi*.

epod. 15, 5 *vŏcat*, 30 *dŏmas*, 42 *fĕret*, 16, 21 *ăt o*, 17, 17 *tĕr ora*, 33 *scĭt et*, 53 *ăn et*, 62 *ĕt ipse*, 101 *tŭi*, 18, 10 *părum*, 50 *ĕt inter*, 19, 22 *ĕt inde*, 30 *ĕt esse*, 38 *cĭtata*.

8. **In tripodiis trochaicis (ithyphallico)** – ⏑ – ⏑ – – quae in Horatiano carmine I 4 ultimam syllabam habent longam, Sarbievius ter admisit brevem:

   II 20, 15 secutŭs, 51 arcĕ (cum hiatu), 57 sequestĕr.

9. **Tripodia** catalecta – ⏑ – – – et acatalecta – ⏑ – – – ⏑ uterque poeta sine ulla exceptione ultima syllaba longa terminat.
10. In **decametro a minore** (⏑ ⏑ – – decies repetuntur) ionici vocabula ubique finiunt.
11. In **pherecrateo** – – – ⏑ ⏑ – – synaloepham quae ab Horatio plane vitatur, semel admisit:

    carm. IV 28, 15 *pauper secum avidi dum.*

12. In **glyconeo** – – – ⏑ ⏑ – ⏑ – basis trochaica suspecto loco Horatii I 15, 36 semel traditur, quae semel etiam invenitur in Sarbievii carm. IV 16, 47: *iussĭt ire Borysthenem.*
13. In versu **alcaico hendecasyllabo** ⏒ – ⏑ – – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒[1]) caesuram Horatius bis (I 37, 14 et IV 14, 17) neglexit, Sarbievius semel II 24, 54:

    Funestus exse‖crabilis efferens.

---

[1]) 5. loco Sarbievius brevem syllabam posuit quinquies (in quem errorem fortassis eo inductus est, quod Hor. III 4, 53 *Typhoeus* in brevem desinere putaret, cum sit graece Τυφωεύς): II 16, 94 *Pares obimus. Hunc alios supra.* — III 1, 26 *risisse Tibrin, et virides procul.* — III 28, 29 *qui bella regum et illacrimabiles.* — III 31, 62 *arundo sudat. Uranies tibi.* — IV 38, 110 *avi patrisque nomine duplicem.* — cf. Christ, Die Verskunst des Horaz im Lichte der alten Überlieferung. (Sitz.-Ber. d. k. Ac. d. Wiss., München 1868) p. 14.

Sed ad versum Horatianum I 16, 21:

hostile aratrum ex‖ercitus insolens

respondet Sarbievius I 3, 46:

apum sonoro ex‖ercitus agmine.

Initium versus quadrisyllabum sequitur vox monosyllaba bis:

III 14, 58 *anciliorum, et stemmatis et togae.*

epod. 17, 85 *inviscеratae ut diffugerent febres.*

14. In versu **sapphico hendecasyllabo** (minore) [1]) – ⏑ – – – ‖ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓ hoc schema severius ubique adamavit praeter tres locos, quibus caesuram ut Horatius saepe, post sextam syllabam posuit:

II 26, 1 *aurei regina ‖ Maria coeli.*

epod. 6, 67 *arduum molita ‖ tholum volantis.*

„ 6, 175 *bella duravere ‖ sonora crudo.*

15. In versu **asclepiadeo** – – – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓ basis quae ab Horatio ubique ponitur spondiaca, semel admittitur trochaica II 15, 2:

līlĭisque iacens et violis dies.

16. Versus **asclepiadeus maior** – – – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓ quem Horatius I 18, 16 ita secuit:

arcanique Fides prodiga per‖lucidior vitro

Sarbievius III 17, 4 item:

Quid per plana per ab‖rupta per im‖pervia lubricum.[2])

17. In versu **elegiambo** – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏒ ‖ ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ ⏒[3]) in caesura neque syllaba brevis neque hiatus admittitur, quod utrumque fit ab Horatio (epod. 11, 6. 10. 26 et 14. 24).

18. In versu **archilochio** – ⏖ – ⏖ – | ⏖ – ⏑ ⏑ ‖ – ⏑ – ⏑ – – hiatum Horatius in caesura ubique vitavit; Sarbievius caesuram bis ausus est neglegere hoc modo:

II 20 53 *nec quae dispositis toga luxuri‖osior lapillis*

II 20, 55 *nec solium nec quae manus imperi‖osiore sceptro.*

---

[1]) 4. loco, sicut Horatius, pro ancipiti ubique posuit longam. cf. Christ, l. c. p. 14.

[2]) cf. Christ l. c. p. 12 sq.

[3]) Hunc versum, quod olim fiebat in editionibus haud paucis, etiam ipse noster in duos diremit, Dauniis Musis, ut opinatur Bentleius ad Hor. epod. 11, dolore lacrimantibus. Sed, quod obiter addam, Bentleius erravit cum l. c. istum versum diceret primum infractum esse a Lambino, in cuius editione Horatiana a. MDLXI vetus mos scribendi recte observatus est.

SYSTEMATA CARMINUM[1]

I asclepiadeum primum

Huius systematis Horatius tria carmina composuit, Sarbievius unum III 22.

II asclepiadeum alterum

Horatius scripsit novem, Sarbievius sex: I 9. 23. – II 4. 19. – III 6. 12.

III asclepiadeum tertium

Horatius septem, Sarbievius sex: II 18. – IV 19. 23. 25. 28. 35.

Intra 174 versus hiatur septies:

inter pherecrateum et glyconeum: IV 19, 3. 23, 3. 25, 3. 15. 47. 35, 19 in –m 43.

IV asclepiadeum quartum

Horatius duodecim, Sarbievius undeviginti: I 2. 7. 11. 13. 17. 19. – II 9. 13. 15. 22. 25. 27. – III 2. 8. 20. – IV 10. 13. 16. 32.

Neque disticha texuit synaphia neque synaloepham posuit usquam.

V asclepiadeum quintum

Horatius tria, Sarbievius duo: III 3. 17.

VI sapphicum

Horatius viginti sex, Sarbievius composuit undetriginta: I 1. 4. 14. 16. 18. 21. – II 2. 7. 12. 14. 23. 26. – III 4. 10. 16. 23. – IV 11. 14. 18. 22. 24. 26. 34. 36. epod. 6. 9. 10. 11. 12.

Intra versus 1232 hiatur bis et quinquagies:

inter sapphicos in longam: I 1, 13 *plectro-inter;* 22 *rivi-et;* 4, 6 *zonā-et;* 13 *dextrā-hora;* 22 *remi-et;* 14, 1 *inventae-aestus;* 16, 38 *sepulchro-esse;* 21, 13 *irae-hostis;* 21 *fluento-Ister;* – II 7, 13 *Publi-impio;* 17 *nasci-haec;* 12, 41 *Latini-arbor;* 23, 21 *ferro-orbis;* 26 *unco-et;* 36, 6 *catervae-et;* – III 16, 9 *umbrae-O;* 23, 2 *cedro-aurei;* – IV 11, 6 *inani-aure;* 22, 5 *adstitisti-integram;* 24, 30 *supremo-*

[1]) Horatium quotquot composuit carmina, quaternionibus versuum distinxisse notum est (cf. Lachmann, opera minora II p. 84). Ab hac lege noster sive incuria sive consulto vicies deflexit: I 2 (30); 11 (66). – II 9 (70); 13 (22); 15 (34); 20 (62); 25 (34); 27 (30); 28 (18). – III 2 (18); 8 (34); 13 (14); 20 (34); 21 (34); 22 (18). – IV 10 (26); 13 (18); 16 (70); 32 (34). – epod. 3 (102).

assides; 26, 2 *quadrigā-huc;* 21 *plectro-inter;* 34, 9 *superbe-ipse;* 13, *uni-ipse;* 36, 38 *saltu-et.*

epod. 6, 10 *veri-ingeni;* 30 *undā-et;* 73 *gyro-isse;* 106 *ursae-hispidas;* 149 *vulgi-ire;* 154 *actae-et;*

inter sapphicos in brevem: II 7, 5 *inquietă-urbium;* — III 16, 54 *repostă-affer;* — IV 24, 42 *eluissĕ-et;* 49 *regemquĕ-aetheris;* 36, 13 *superbă-exsulet;*

epod. 6, 74 *ipsă-isse;* 145 *regnă-et.*

hiatur ante adonium[1]): *in longam:*

I 21, 32 *fabulosi-ostia Nili.*

II 14, 3 *Nerei-eripis imo.*

IV 24, 19 *ab imo-eruit Orco;* 51 *sese-explixet omnes;* 36, 7 *castā-exsulet urbe.*

epod. 9, 35 *tueri-annue vultus;* 10, 63 *perenni-aura cachinno;* 103 *sequaci-astra triumpho;* 11, 83 *hospitali-excipit umbra;* 12, 15 *intimae-halitus aurae;* 13, 115 *coruscae-arce coronae;* 135 *canoro-ire triumpho*

in brevem:

I 1, 15 *saeclă-approbat orbis.*

III 16, 3 *consul ipsĕ-ipse senatus.*

synaloepha *inter sapphicos* admissa est:

I 14, 14 *inde bacchantum patiens procellarum*
ingemit

IV 24, 49 *tu tuā virgo, sobolemque regemque*
aetheris.

ante adonium:

epod. 6, 147 *et minas regum super ac tyrannorum*
ardua colla et

Idem vocabulum pergit in adonium:

I 1, 39 *te suis aestas opulenta circum=*
fundit aristis.

16, 23 *et Saguntinis Siculisque bellum af=*
fundere portis.

---

[1]) cf. J. H. Bormans, Commentatio litteraria de neglectu neolatinae poeseos deque Horatii et Sarbievii dotibus, Leodii 1822 p. 51: „non minus molestum est, si inter adonium et praecedentem versum sapphicum ille hiatus invenitur, a quo non semper sibi cavit . . . Sarbievius.“ Sed vide Hor. I 12, 7, I 12, 31 et Christ, l. c. p. 32 sq.

I 35 *iam minae tristes equitum et frementum hin=*
nitus equorum.
43 *postibus demi, solitoque frontem as=*
surgere cono.
II 7, 11 *dixit: elato populos habent mo=*
menta sub ictu.
12, 3 *iam fluunt pronis tibi regna, Ferdi=*
nande tributis.
14, 7 *sternitur late, bibulisque se re=*
clinat arenis.
23, 15 *mollibus flectit sua regna Ferdi=*
nandus habenis.
III 16, 19 *vos Aventinum Capitoliique im=*
mobile saxum.
51 *Phoebe, si gestis procul arduo de=*
scendere Cyntho.
IV 11, 23 *in latus cautam sapiens momento a=*
vertere proram.
14, 19 *itis et fessum comitante circum=*
sistitis umbra.
24, 7 *expiaturum populos manu de=*
mitte puellum.
39 *sustinet: nobis medicos latus de=*
stillat in imbres.
47 *carmen et totam sine fraude mentem im=*
pendite regi.
59 *coelitum pridem vocat in beatam ex=*
ercitus aulam.
26, 15 *ros tibi manet, tacitaque se sus=*
pendat in herba.
23 *sibilo ludas, lyrico comes po=*
etria vati.
34, 15 *plebis attollit, propriaque se mi=*
ratur in umbra.
epod. 6, 43 *numinis formam studiosa vili ef=*
fingere limo.
55 *ausa nascentem nebularum amictu in=*
volvere terram.

epod. 6, 95 *pertinax Euri furor aut inelu=
ctabilis Austri.*
99 *aut freto pulsum Boream vadosa op=
pugnat arena.*
10, 31 *gaudet: aeterni geminant tibi su=
spiria colles.*
11, 31 *cumque tempestas daret, atque ab omni ef=
funderet Istro.*
35 *sustinet Calpe Thetin atque inexpu=
gnabilis obstat.*
59 *ipsa nimborum cuneis et omni ac=
cincta tonitru.*
79 *et novas solvat nova vota Ladis=
laus ad aras.*
12, 51 *virgini collis, mediaque templum ap=
paret in urbe.*

Idem vocabulum pergit in sequentem versum inter sapphicos:

IV 26, 5 *Hic tibi liber Zephyrus comas per=
sultet.*
epod. 10, 125 *Sunt et, antiquo quibus herba circum=
fulget argento.*
11, 2 – ᴗ *Surgamus: rapido ruit de=
clivis e coelo.*
69 *sensit, atque ipsos Tanais pavens re=
fugit in fontes*

Praepositionem *in* in fine versus quam Horatius bis, Sarbievius nusquam admisit.

VII sapphicum maius

Hiatum admisit semel III 13, 11 *torvam—exaras.*
Uterque poeta carmen unum: Sarbievius III 13.

VIII alcaicum

Huius systematis Horatius carmina composuit 37, Sarbievius 63: I 3. 5. 6. 8. 10. 12. 15. 20. 22. – II 1. 3. 5. 8. 10. 11. 16. 17. 21. 24. – III 1. 5. 7. 9. 11. 14. 18. 19. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. – IV 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 12. 15. 17. 20. 27. 29. 31. 33. 37. 38. – epod. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Synaloepham semel posuit I 6, 67:
mundi fatiscentisque naturae opprobrium.

in in fine versus bis: I 10 75; II 5, 7.

Idem vocabulum pergit in sequentem versum:

inter alcaicos (quod evitavit Horatius):

II 5, 57 *cum rege regnum. quid memorem super=*
infusa

in enneasyllabum:

IV 3, 62 *exponat asser. cur ego sistere ae=*
terno reformidem

15, 6 *damnatur una. quidquid in arduo im=*
mortale

in decasyllabum:

II 16, 19 *stabis, repentinamque mundi im=*
mobilis

III 24, 39 *excusat ense, barbarum im=*
mortuus

IV 38, 43 *Haemique victores nigrum cal=*
cavimus

Mirum est quanta incuria hoc in systemate non vitaverit hiatum, ita ut dubitare liceat, an ei consulto indulserit: in versi= bus 3640 inveniuntur 377, quorum 103 terminantur in –m.

Sunt autem in primo carminum libro hi (63):

I 3, 1. 5. 10. 17. 23. 29. 35. 39. 45. 55. 62. 63.
5, 2. 5. 9. 15.
6, 19. 39. 47. 53. 63. 77.
8, 1. 7. 15.
9, 43. 47. 51.
10, 9. 30. 33. 59. 65. 66. 71. 77. 87.
12, 17. 22. 41. 58. 62. 63. 77.
15, 19. 27. 31. 43.
20, 11. 46. 47. 49. 50. 55. 63.
22, 6. 15. 23. 25. 35. 42. 47. 57.

In secundo non multo pauciores (47):

II 1, 7. 22. 33.
5, 63. 78. 79. 85. 86.
8, 2. 10.

II 10, 7. 9. 15. 17. 19. 23.
12, 38. 47.
16, 11. 15. 21. 31. 34. 46. 55. 57. 59. 63. 86. 89. 91. 94. 95.
17, 2. 3. 7. 14. 39.
21, 5. 13. 19.
24, 11. 19. 39. 43. 55. 74.

Quos collegi ex libro tertio (105) ex quarto (120) ex epodon (42) malui supprimere, ne rei viliori diutius insistere viderer.

IX archilochium primum

Hiatur post hexametrum sexies: IV 30, 5 *unquam-arx;* 17 *aureo-incoctum;* 39 *trigoni-assimulent;* 41 *heroinae-aeternum;* 45 *nepote-et;*

Horatius duo, Sarbievius unum IV 30.

X archilochium alterum

Hiatur quater in 60 versibus: IV 21, 5 *currum-has;* 21 *agno-exsuperantque;* 30 *vulgo-ungue;* 57 *columbae-ingemuere;* Uterque poeta unum carmen composuit; Sarbievius IV 21.

XI archilochium tertium

Trimetri syllaba prima contra consuetudinem sexies brevis (excipe Hor. I 4, 2 trăhuntque):
II 20, 18 *fŏrum;* 26 *ĕt urbis;* 30 *Văleriosque;* 40 *rŭdemque;* 44 *nŏvosque;* 52 *ĭnane.*

Hiatur *in longam:*

II 20, 1 *Idā-audax;* 19 *oti-ausum;* 23 *triumvirali-adiudicatum;* 25 *aevi-et urbis.*

in brevem: 51 *arcĕ-inane.*

Uterque poeta unum: Sarbievius II 20.

XII hipponacteum

In trimetro arsis nusquam soluta est. Syllaba prima longa terdecies, brevis quater: III 21, 2 *Tăgi;* 8 *rŭdi;* 14 *sŭae;* 18 *tŭam.* — Hiatur post dimetrum III 21, 9 *vitro-albive.* — Uterque composuit unum: Sarbievius III 21.

XIII ionicum

Unum uterque; Sarbievius II 8, quo 18 versus perpetua synaphia texuit, si excipias quod v. 5. terminavit *ĕquĭtārĕ.*

Epodi

I trimetrum iambicum cum dimetro: Horatius decem, Sarbievius 1. 2. 3. 4. 5.

II trimetrum iambicum cum elegiambo: Horatius unum, Sarbievius inter carmina unum inseruit III 15.

Epodos, qui in editione Vollmeriana (p. 340) Horatii ponuntur loco III (= hexameter cum tetrametro dactylico catalecto), loco IV (= hexameter cum iambelego sequente), loco V (= hexameter cum dimetro iambico sequente), loco VII (= trimetra iambica κατὰ στίχον) Sarbievius non est imitatus.

VI hexameter cum senario puro: Horatius unum, Sarbievius unum (octavum).

His septimo loco adiunxit cantum nuptialem quo Claudiani [1]) fescennina imitatus est, huius schematis:

Surge Musa nuptiales
Aemulata voce plausus
Per feracis arva Vilnae
Quaere flores, carpe frondes:
Carminumque mille foeta
Vere pulchro cinge, pulchro rore sparge tempora.

In **Hiatu** intra versus admittendo est parcior:

II 11, 45 *O ergo*
III 16, 9 sq. *O ubi* (bis)
IV 8, 78 *O ego*
IV 38, 74 *O hominum*
epod. 11, 10 *O alma*

Synhizesis

I 18, 3 *cui;* item I 23, 3; II 5, 55; II 9, 35; IV 37, 3; epod. 12, 85 (bis); 12, 89 (bis); 13, 2;

---

[1]) cf. Birt, Claud. carm. in Mon. Germ. Auct. ant. X, Berolini MDCCCLXXXXII p. 121.

II 14, 3 *Nerei.*
III 10, 24 *Enipei;* item epod. 6, 160.
III 14, 62 *aureo*; item IV 30, 17; – epod. 3, 23 *aureis;* item epod. 20, 3.
IV 7, 74 *arietes.* – IV 29, 77 *parieti.*

Etiam **Syncope** mirum quam raro invenitur:

saecla I 1, 15; item IV 7. 14;
saeclum IV 20, 18.
dextra III 4, 17; item III 19, 4 et 14; IV 38, 104.
dextram IV 5, 44; item IV 8, 62.
reposta III 16, 54; *reposti* epod. 10, 35.

Tmesis

In fine versuum: *circum-fundit* I 1, 39; – *ac-commodet* I 1, 59; – *af-fundere* I 16, 23; – *hin-nitus* I 16, 35; – *as-surgere* I 16, 43; – *super-infusa* II 5, 57; – *mo-menta* II 7, 11; – *Ferdi-nande* II 12, 3; – *re-clinat* II 14, 7; – *im-mobilis* II 16, 19; – *Ferdi-nandus* II 23, 15; – *im-mobile* III 16, 19; – *de-scendere* III 16, 51; – *im-mortuus* III 24, 39; – *ae-terno* IV 3, 62; – *a-vertere* IV 11, 23; – *circum-sistitis* IV 14, 19; – *im-mortale* IV 15, 6; – *de-mitte* IV 24, 7; – *de-stillat* IV 24, 39; – *im-pendite* IV 24, 47; — *ex-ercitus* IV 24, 59; – *per-sultet* IV 26, 5; – *sus-pendat* IV 26, 15; – *po-etria* IV 26, 23; – *mi-ratur* IV 34, 15; – *cal-cavimus* IV 38, 43; – *ef-fingere* epod. 6, 43; – *in-volvere* epod. 6, 55; – *inelu-ctabilis* epod. 6, 95; – *op-pugnat* 6, 99; – *su-spiria* 10, 31; – *circum-fulget* epod. 10, 125; – *de-clivis* epod. 11, 2; – *ef-funderet* epod. 11, 31; – *inexpu-gnabilis* epod. 11, 35; – *ac-cincta* epod. 11, 59; – *re-fugit* epod. 11, 69; – *Ladis-laus* epod. 11, 79; – *ap-paret* epod. 12, 51.

In caesura: *prae / sentibus* II 9, 66; – *luxuri / osior* II 20, 53; – *imperi / osiore* II 20, 55; – *in / funderet* III 8, 24; – *ab / rupta ... im / pervia* III 17, 4; –

De **grammatica tmeseos** haece sufficiant:

quo te cunque feres I 9, 31; – *qua se cunque ferunt vagae* II 5, 9; – *quantum magna libet* II 6, 17; – *quod fortuito cunque*

minabitur II 16, 37; — *circum valle sedebimus* II 22, 43; — *quae meos poscet via cunque gressus* IV 14, 17; — *testudo, quae mea cunque sonat* IV 20, 8; — *qua se cunque* IV 32, 6.[1])

Interdum, etsi Horatium in plurimis apprime sequitur, sicut in verbis eligendis et metro, ita etiam in prosodiacis aliquatenus cognoscitur ab eo recedens partim alios imitari, partim nova propriaque proferre. Ex quibus (ne plane sine testimonio rem deseramus) haec videbantur observatione digna:

amicet I 4, 7 cf. Stat. Theb. III 470: *ac prior*
Oeclides solitum (*-ta* v. l.) *prece numen amicat;* Prisc. gram. II 438, 18;
ad rem vero Hor. c. I 25, 3.

segreges I 6, 58; II 27, 18; cf. Sen. de benef. IV 18, 2.

Etesiis I 9, 5; cf. Lucr. V 740 (Brieger).

renarramus I 6, 31; cf. Verg. Aen. III 717.

admurmurantem I 22, 14; cf. Cic. de or. II 285; Att. I 13, 2.

accomit I 22, 59 novum inferre ausus est.

subrubet I 22, 62; cf. Ovid. a. a. II 316.

āeneis I 5, 25; *āenea* II 5, 42 cf. Ov. met. VII 247, ubi aliquot, quibus forte fidit codices habent:
aeneaque invergens tepidi carchesia lactis (v. l. *alteraque*); [2])
at I 20, 30 *ahenas.*

Īŏnĭŏ Ārăbĭōquĕ plōrĕt I 6, 20; cf. Hor. epod. 10, 19 *Īŏnius;* (Vollmer l. c. p. 344); *Arabs* ubique apud veteres primam syllabam correptam habet.

---

[1]) l. IV, 14, 1—4: Cum meam nullis humeros onustus
sarcinis tecum patriam reviso
laetus, et parvo *mihi cumque* dives
canto viator;
tu siles moestum . . .

aperte ob oculos ei versabatur spinosum illud Horatii I 32, 15: mihi-cumque salve, quam lectionem Vollmer cum traditione et Porphyrione ita exhibet, ut scribat mihicumque, Göttling mihi cumque; Heinze eam ed. 6 p. 158 prorsus refutat.

[2]) cf. ed. Magnus ad locum; Berolini MCMXIV.

consilii I 6, 28; *ingenii* I 6, 72; II 22, 32; *somnii* I 7, 44; *eloquii* II 22, 12; *imperii* II 23, 25.

at corripuit: *ingeni* I 9, 24; *imperi* I 9, 25; I 17, 32; I 20, 50; I 23, 16; II 9, 46; *oti* I 20, 46; Horatius in substantivis ubique forma breviore usus est (Vollmer p. 350).

Gōrtȳnē I 12, 38 cf. Lucan. III 186 *Gōrtȳnă.*

Scīpĭŏ I 16, 20 sine exemplo Horatii.

Thērmŏdŏōntii II 1, 41; cf. Verg. Aen. XI 659 *Thērmōdōntis.*

fervĕre II 6, 16; cf. Verg. Aen. IV 409 et saepius.

Ōrīŏnă I 9, 10; cf. Hor. I 28, 21 *Ōrīōnĭs.*

Nērĕŭs I 3, 17; 8, 41; 9, 33; 10, 14; at *Nēreūs* II 24, 65; Hor. I 15, 5 *Nēreūs.*

mūgĭit I 23, 18 sine exemplo Horatii.

Breves syllabas produxit: I 3, 12 *supēr-humerosque;* I 9, 43 *honōr et*; II 16, 94 *obimūs. Hunc.*

Licet igitur et ab Horatio et a ceterorum poetarum norma non semel deliraverit, in ceteris tamen rei metricae non minus quam prosodiacae diligenter institisse probatur. Quibus vero potissimum fontibus hauserit, fateor me frustra quaesivisse.

LOCI PARALLELI

Loci quibus Horatii verbis vel iisdem vel similibus utitur, etsi non pauci sunt, tamen adeo apte plerumque ac feliciter inseruntur, ut non sit, cur poeta multum vituperetur. Neque ingenii eius sublimitati quidquam abrogem,[1]) cum et ingeniosissimi veterum, ut neotericos taceam, idem facere non dubitaverint. Sunt autem hi:

Candor, et pulchro remeare Virtus audet Olympo.	Pudorque priscus et neglecta redire Virtus audet
Sar. I, 1 19 sq.	Hor. c. s. 58 sq.
curet et votis procerum reclinem ac=commodet aurem.	curat et votis puerorum amicas applicat aures.
Sar. I 1, 59 sq.	Hor. c. s. 71 sq.

[1]) cf. Anton Henrich, Die lyrischen Dichtungen Jacob Baldes, Strassburg 1915 p. 207.

Sic fatis placitum: suis
tempestiva fluunt fata periculis
Sar. I 2, 15 sq.

sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis
Hor. II 17, 15 sq.

Urbane regum maxime, maxime
Urbane vatum, Pegaseus tibi
temo volaturusque late
regna super populosque currus
iamdudum apud me est: eripe te solo
Sar. I 3 1–5.

Tyrrhena regum progenies tibi
non ante verso lene merum cado
cum flore, Maecenas, rosarum et
pressa tuis balanus capillis
iamdudum apud me est: eripe te morae
Hor. III 29, 1–5.

fugiunt avarae
mensium lunae, nimiumque volvi
lubricus aether.
Sar. I 4, 2 sq.

urit grata protervitas
et voltus nimium lubricus adspici
Hor. I 19, 7 sq.

et sponte sero vespere turgidas
ad septa narrant lanigerum pecus
mammas reportare
Sar. I 5, 13 sq.

illic iniussae veniunt ad mulctra capellae
refertque tenta grex amicus ubera
Hor. epod. 16, 49 sq.

Frustra Novembres dicimus ad focos
pugnata Raetis bella sub Alpibus
Sar. I 6, 29 sq.

videre Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici.
Hor. IV 4, 17 sq.

(enses:) quos male barbara
non decoloravere terga
Sar. I 6, 34 sq.

quod mare Dauniae
non decoloravere caedes?
Hor. II 1, 34 sq.

(Nec) dicemus Umbrum, qui frementes
Antiochi Hannibalisque turmas
Rursum efficaci diruat impetu
Sar. I 6, 51–53.

Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum
Hor. III 6, 35 sq.

Claudius agmina
ferrata vasto diruit impetu
Hor. IV 14, 29 sq.

Sic citatis
saecula degenerare metis
sancit futuri temporis arbiter
Sar. I 6, 55–57.

Prudens futuri temporis exitum
caliginosa nocte premit deus
Hor. III 29, 29 sq.

Vesper vespere truditur
sed nunc deterior nunc melior subit.
Sar. I 7, 11 sq.

Truditur dies die
novaeque pergunt interire lunae.
Hor. II 18, 15 sq.

Nescit severo livida bracchia
signare ferro; nescit idoneis
tiro reluctantem lupatis
frangere equum, metuitque torvum
tranare Tibrim, cum nivibus satur
exaestuanti frena licentiae
permisit, emovitque ripam
assiduae metuendus Urbi.
Sar. I 8, 9–16.

cur neque militares
inter aequales equitet, Gallica nec lu-
[patis
temperet ora frenis?
cur timet flavum Tiberim tangere? cur
[olivum
sanguine viperino
cautius vitat neque iam livida gestat ar-
bracchia [mis
Hor. I 8, 5–11.

(ordinem) rectum evaganti frena licen-
iniecit emovitque culpas [tiae
Hor. IV 15, 10 sq.

Ceu quem velivolis praepes Etesiis
navis divitibus distinet insulis [1])
dilectum iuvenem, quem modo barbara
auri corripuit fames
mater sollicito spectat ab aequore
et lentum pelagi damnat Oriona
et ventos gemitu duplicat et pigro
affundit lacrimas mari
Sar. I 9, 5–12.

Ut mater iuvenem, quem Notus invido
flatu Carpathii trans maris aequora
cunctantem spatio longius annuo
dulci distinet a domo,
votis ominibusque et precibus vocat
curvo nec faciem litore dimovet:
Hor. IV 5, 9–14.

Hoc appone lucro, quod tuleris simul,
quo te cunque feres
Sar. I 9, 30 sq.

quem Fors dierum cunque dabit, lucro
adpone
Hor. I 9 14 sq.

et captum nivea compede Nereum
Sar. I 9, 33.

Hebrusque nivali compede vinctus
Hor. epist. I 3, 3.

Illam cana Fides nudaque Veritas
(sequitur) Sar. I 9, 41.

incorrupta Fides nudaque Veritas
Hor. I 24, 7.

O caduci
praesidium columenque mundi
Sar. I 10, 51 sq.

Maecenas, mearum
grande decus columenque rerum
Hor. II 17, 4.

ducat catenatus tyrannum in
perniciem opprobriumque Fastûs
Sar. I 10, 75 sq.

in nepotum
perniciem opprobriumque pagi
Hor. II 13, 4 sq.

---

[1]) cf. lingua potentium
vatum divitibus consecrat insulis. Hor. IV 8, 26 sq.

Quo, Musa, vatem, non memor Icari tollis relapsurum? Sar. I 10, 81.	Quo, Musa, tendis? desine pervicax referre Hor. III 3, 70 sq.
Iam Martis tonitru mugit et obvium Medi fulgur acinacis Sar. I 11, 16 sq.	Vino et lucernis Medus acinaces immane quantum discrepat Hor. I 27, 5 sq.
devotumque mori latus obiectu tremulae protegit aegidis Sar. I 11, 51 sq.	devota morti pectora liberae Hor. IV 14, 18.
(Hunc.. recreent Tempe..) vel virentis silva Cragi Sar. I 12, 47 sq.	nigris aut Erymanthi silvis aut viridis Cragi vos Tempe Hor. I 21, 7 sqq.
Est, qui supina certet amystide	Bassum Threicia vincat amystide Hor. I 36, 14.
obliviosum ducere Liberum? Sar. I 12, 61 sq.	Oblivioso levia Massico ciboria exple Hor. II 7, 21 sq.
(cui . . .) fluviique balant cantu sonori blandius Orphei? Sar. I 12, 76 sq.	Quid? Si Threicio blandius Orpheo auditam moderere Hor. I 24, 13 sq.
(Crescit . . .) primae iuvenile vitae robur, adversum sibi, luctuosis dissidet armis Sar. I 14, 6 sqq.	Medus infestus sibi luctuosis dissidet armis Hor. III 8, 19 sq.
Hic ubi pugnax equitavit Auster Sar. I 14, 25.	Eurus per Siculas equitavit undas Hor. IV 4, 43 sq.
Quae semel certo metuendus arcu fixit Sar. I 14, 29 sq.	nec te metuende certa Phoebe sagitta Hor. I 12, 23 sq.
Fortius pugnes iuvenum domando spiritus, quam si iuga feriatis induas tauris, vel equina Poeno frena leoni Sar. I 14, 33–36.	Latius regnes avidum domando spiritum quam si Libyam remotis Gadibus iungas et uterque Poenus serviat uni Hor. II 2, 9–12.

Quantus Gelonis, quantus erat feris sudor Corallis! Sar. I 15, 9 sq.	Heu, heu, quantus equis, quantus adest sudor [viris Hor. I 15, 9 sq.
exempla diffingent nepotem in proavos Sar. I 15, 19 sq.	incude diffingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum. Hor. I 35, 39 sq.
peior nefastis progenies avis succrevit Sar. I 15, 22 sq.	aetas parentum, peior avis, tulit nos nequiores Hor. III 6, 46 sq.
(O, quem gloria fervidis ...) evexit alis, o caduci grande decus columenque mundi Sar. I 15, 37 sqq.	Maecenas, mearum grande decus columenque rerum Hor. II 17, 3 sq.
Mercuri, nam te citharae potentem vivido Manes reparare cantu (stupuere stagna) Sar. I 16, 1 sq.	Mercuri, nam te docilis magistro movit Amphion Hor. III 11, 1 sq.
Ite, pugnaces Priami nepotes, pulcher Anchisae Venerisque sanguis Sar. I 16, 9 sq.	Quaeque vos bubus veneratur albis clarus Anchisae Venerisque sanguis Hor. c. s. 49 sq.
Surge: qua dormis, quatit acer urnam ungula Medus Sar. I 16, 37 sq.	Urbem eques sonante verberabit ungula Hor. epod. 16, 11 sq.
Patrius quondam male laxus haeret filio thorax Sar. I 16, 58 sq.	toga defluit et male laxus in pede calceus haeret Hor. serm. I 3, 31 sq.
(Non) aurum postibus illitum laudandum memori carmine prin- [cipem	(Non sola) aurum vestibus illitum mirata Hor. IV 9, 14 sq.
clarabit Sar. I 17, 3 sqq.	(non labor Isthmius) clarabit pugilem Hor. IV 3, 4 sq.
primo gratior Hespero formosus rosea vultus in Iride Sar. I 17, 11 sq.	puro te similem, Telephe, Vespero tempestiva petit Rhode; Hor. III 19, 26 sq.
(Idem) maturis faciem risibus explicet Sar. I 17, 20.	(coenae) sollicitam explicuere frontem Hor. III 29, 16.

proelia et asperas regum contuderit minas Sar. I 17, 22.	ornatum foliis ducem quod regum tumidas contuderit minas, Hor. IV 3, 7 sq.
Urit me patriae decor Sar. I 19, 1.	Urit me Glycerae nitor Hor. I 19, 5.
Hic canum mihi cespitem, hic albis tumulum sternite liliis (pueri). Sar. I 19, 13 sq.[1])	Hic vivum mihi cespitem, hic verbenas, pueri, ponite turaque Hor. I 19, 13 sq.
Pulchro, Quirites, pulvere gaudeat impubis aetas, et strepitum, et minas iam nunc et audaces tumultus de tenero meditetur ungui: Sar. I 20, 1–4.	Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo et fingitur artibus iam nunc et incestos amores de tenero meditatur ungui. Hor. III 6, 21–24.
aut se cespitis explicet per summa, non parcus iuventae et decorum pretiosus emptor. Sar. I 20, 10 sqq.	seu navis Hispanae magister dedecorum pretiosus emptor. Hor. III 6, 31 sq.
Heu, quantus armis, quantus adest [equis quantusque sudor depopulantibus Pangaea Dacis! Sar. I 20, 17 sqq.[2])	Heu, heu, quantus equis, quantus adest [viris sudor, quanta moves funera Dardanae genti. Hor. I 15, 9 sqq.
Quae nunc, pudendum! illudere pervi- [cax persultat armentum: et miserabiles delent peremptorum ruinas hinnulei timidaeque damae. Sar. I 20, 41–44.	. . pervicax referre Hor. III 3, 70 sq. et III 29, 50. . . dum insultet armentum Hor. III 3, 41 sq. . . pavidae . . damae Hor. I 2, 11 sq.
Eheu, cicatricum Hesperiam pudet et mollis oti et turpis inertiae iraeque, quae procudit arma Sar. I 20, 45 sqq.	Heu heu, cicatricum et sceleris pudet fratrumque. Hor. I 35, 33 sq. non ira, quae procudit enses Hor. IV 15, 19.
Iam cruento sparsa mari fluitare tela videre, totis iam videor Thetin pugnare remis; Sar. I 20, 59 sqq.	Audire magnos iam videor duces Hor. II 1, 21.

[1]) Eodem quo Horatius versu.

[2]) cf. Sar. I 15, 9 sq. et Hor. eodem prorsus carminum loco!

Pone surgentes super orbe curas magne pacati moderator orbis mitte Threissas calida phalangas fervere rixa Sar. I 21, 1–4.	Mitte civiles super Urbe curas Hor. III 8, 17. abstineto dixit irarum calidaeque rixae Hor. III 27, 69 sq.
(Orpheus) quo duce, Thraciae aurita reptavere saxa Sar. I 22, 6 sq.	(Orphea . . .) auritas fidibus canoris ducere quercus Hor. I 12, 11 sq.
O quis latinae fons opulentiae exuberanti vividus impetu bacchatur Sar. I 22, 25 sqq.	mox in ovilia demisit hostem vividus impetus Hor. IV 4, 9 sq.
Condit regna labor. Fabricio bene findenti patriis iugera sarculis frondent in mediis sceptra novalibus pulchrae messis adoreae Sar. I 23, 5–8.	Gaudentem patrios findere sarculo agros Hor. I 1, 11 sq.
iam nunc nobilium colla Quiritium aequi flecte memor Sar. I 23, 14 sq.	hunc, si mobilium turba Quiritium certat . . . tollere Hor. I 1, 7 sq.
Fortunae memores nunc, age, victimas iusto mitte Iovi. Quae modo mugiit sacris pontificum digna securibus aras illinet hostia. Sar. I. 23, 17–20.	(quae pascitur) devota quercus inter et [ilices aut crescit Albanis in herbis victima, pontificum secures cervice tinguet Hor. III 23, 10–13.
Te Cimber horret: te genibus minor Brennus Sar. II 1, 46 sq.	ius imperiumque Phraates Caesaris accepit genibus minor Hor. epist. I 12, 27 sq.
insta consiliis et rude nobili urge propositum manu Sar. II 4, 27 sq.	(pars hominum . . .) urget propositum; Hor. serm. II 7, 6 sq.
Parce, crudeles, moriture Publi impio divos onerare questu Sar. II 7, 13 sq.	. . . ab insolenti temperatam laetitia, moriture Delli Hor. II 3, 3 sq.
Cur nostrae resides, heu, nimium diu, indormimus inertiae Sar. II 9, 10 sq.	Indormit unctis omnium cubilibus Hor. epod. 5, 69.

(cur) visam non pavidis navita puppi- [bus? Sar. II 9, 54.	nil pictis timidus navita puppibus fidit. Hor. I 14, 14.
Non ego ludicrae dixi sacramentum Minervae Sar. II 10, 14 sq.	Non ego perfidum dixi sacramentum: ibimus Hor. II 17, 9 sq.
Ille terrarum fragor, ille magnae fulmen Europae, Scythici tremendus arbiter ponti, piger obsoletis abstinet armis. Sar. II 12, 9–12.	Ille terrarum mihi praeter omnes angulus ridet Hor. II 6, 13 sq. campestribus abstinet armis Hor. a. 379.
Iam sacrae leges et amica legum iura civiles cohibent tumultus et Fides et Fas et aperta laeto Gratia vultu. Sar. II 12, 13–16.	Iam Fides et Pax et Honor Pudorque priscus et neglecta redire Virtus audet adparetque beata pleno Copia cornu. Hor. c. s. 57–60.
Nobilis Orphei non erubescendum nepotem Sarmatica redimite lauru Sar. II 16, 2 sq.	non erubescendis adurit ignibus Hor. I 27, 15.
Improbo utcunque ponis frena cupidini metumque dispensas; per omnes invidiae potes ire fluctus. Sar. II 16, 9–12.	meliusne fluctus ire per longos fuit Hor. III 27, 42 sq.
seu pelagus super seu fulminantis porta tonet poli: stabis repentinamque mundi im- mobilis excipies ruinam. Sar. II 16, 17–20.	nec fulminantis magna manus Iovis: si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinae. Hor. III 3, 6–8.
quod fortuito cunque minabitur Fortuna nervo Sar. II 16, 37.	sic quodcunque minabitur Eurus Hor. I 28, 25.
Alter reducto lentus in otio paulum sepulto distat Sar. II 16, 61 sq.	Paulum sepultae distat inertiae celata virtus Hor. IV 9, 29.

Caecos illa metus et procerum graves
iras, e miserae limine patriae
vestris mota querelis
ad Medos aget et Getas.

Sar. II 18, 13–16.

Haec bellum lacrimosum, hic miseram [famem
pestemque a populo et principe Cae- [sare in
Persas atque Britannos
vestra motus aget prece.

Hor. I 21, 13–16.

Vitas sollicitae me similis caprae
quam vel nimbisoni sibilus Africi,
vel motum subitis murmur Etesiis
vano corripit impetu.
Nam seu prima metum bruma tremen- [tibus
incussit foliis, sive Diespiter
elisit resonis tela Cerauniis
incerta trepidat fuga.
Atqui non ego te quaerere desinam
clamatura retro: Christe revertere

Sar. II 19, 1–10.

Vitas hinnuleo me similis Chloe,
quaerenti pavidam montibus aviis
matrem non sine vano
aurarum et siluae metu.
Nam seu mobilibus vepris inhorruit
ad ventum foliis seu virides rubum
dimovere lacertae
et corde et genibus tremit.
Atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor:

Hor. I 23, 1–10.

circumtonantes visit officinas

Sar. II 20, 6.

Volcanus ardens visit officinas

Hor, I 4, 8.

Thracas et victos sine clade Caesar
sternet Alanos.

Sar. II 23, 11 sq.

extremos metendo
stravit humum sine clade victor

Hor. IV 14, 31 sq.

Martis oblitus calidaeque rixae

Sar. II 23, 25.

irarum calidaeque rixae

Hor. III 27, 70.

et per Palaestinos tyrannis
explicuit sua signa campos.

Sar. II 24, 23 sq.

per obstantes catervas
expliciut sua victor arma

Hor. IV 9, 43 sq.

et Salus et Pax et aperta pando
Copia cornu.

Sar. II 26, 7 sq.

Iam Fides et Pax et Honor Pudorque
. . . . adparetque beata pleno
Copia cornu.

Hor. c. s. 57–60.

credunt mellaque Dardanos
errasse per vicos et Urbem
uberibus secuisse rivis.

Sar. III 1, 22 sqq.

audire et videor pios
errare per lucos, amoenae
quos et aquae subeunt et aurae.

Hor. III 4, 6 sqq.

Cum tu, Magdala, lividam Christi caesariem, cum male pendula spectas bracchia, pro! tibi pectus non solitis fervet amoribus.	Cum tu, Lydia, Telephi cervicem roseam, cerea Telephi laudas bracchia, vae! meum fervens difficili bile tumet iecur. Hor. I 13, 1–4.
Non es qualis eras: tibi	Non sum qualis eram . . . Hor. IV 1, 3.
non mens semianimis restat in artubus Sar. III 2, 1–6.	Tunc nec mens mihi nec color certa sede manent Hor. I 13, 5 sq.
Non, si me satis audias plores perpetuum tristia: tertia cum lucem . . . Sar. III 2, 13 sqq.	Non, si me satis audias speres perpetuum dulcia barbare laedentem . . . Hor. I 13, 13 sqq.
divendes lacrimas nobilium caede Qui-[ritium Sar. III 3, 6.	hunc, si mobilium turba Quiritium Hor. I 1, 7.
Non frustra properis imposuit rotis currus Iapeti genus Sar. III 8, 8 sq.	audax Iapeti genus ignem fraude mala gentibus intulit Hor. I 3, 27 sq.
Mutant magna suas regna vices Sar. III 8, 28.	mutat terra vices Hor. IV 7, 3.
seu tibi coelitum vestire nudas spiritus incidit aras et aulaeis et ostro pauperibus placuisse divis. Sar. III 9, 17–20.	coenae sine aulaeis et ostro sollicitam explicuere frontem. Hor. III 29, 15 sq.
Iustam et tenacem propositi manum mundi serenis partibus asseri exspectat Sar. III 11, 29 sqq.	Iustum et tenacem propositi virum non civium ardor . . . (quatit) Hor. III 3, 1 sq.
candida Veritas non erubescendis adurit ignibus, ingenuoque parvus luces honesto Sar. III 14, 22–25.	Venus non erubescendis adurit ignibus ingenuoque semper amore peccas. Hor. I 27, 14–17.

(gaudet) lassare Fortunam duello et per medias docet ire mortes. Sar. III 14, 35 sq.	leonem, quem cruenta per medias rapit ira caedes. Hor. III 2, 11 sq.
nec severae Martis opes aquilaeve desunt	nec severus uncus abest liquidumque plumbum. Hor. I 35, 19 sq.
censusque et almae vulgus adoreae anciliorum et stemmatis et togae Sar. III 14, 55–58.	(consenuit) Marsus et Apulus anciliorum et nominis et togae oblitus Hor. III 5, 9 sqq.
quod turba mirantum, et curule frenigera trahit aure vulgus. Sar. III 14, 63 sq.	et exactos tyrannos densum humeris bibit aure vulgus. Hor. II 13, 31 sq.
regumque turres barbarorum et attonitas specularis urbes. Sar. III 14, 79 sq.	regumque matres barbarorum et purpurei metuunt tyranni Hor. I 35, 10 sq. (cf. I 4, 14.)
(te) sereni regum apices lituique circum Sar. III 14, 91 sq.	post te neque iratos trementi regum apices neque militum arma Hor. III 21, 19 sq.
Tu lene tormentum ingenio admoves mentesque dulcis nectare gloriae plerumque mulces. Sar. III 14, 105 sqq.	Tu lene tormentum ingenio admoves plerumque duro Hor. III 21, 13 sq.
risu serenae frontis idoneus mire sagacem fallere curiam discrimen obscurum dolosis artibus ingenioque morum. Sar. III 14, 113–116.	quem si puellarum insereres choro mire sagaces falleret hospites discrimen obscurum solutis crinibus ambiquoque vultu. Hor. II 5, 21–24.
desine tristium tandem querelarum et potius sacra	desine mollium tandem querelarum et potius nova [(cantemus) Hor. II 9, 17 sq.
incude diffingas in aurum saeva ducum procerumque tela. Sar. III 14 125–128.	o utinam nova incude diffingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum. Hor. I 35, 38 sqq.

(ad) Aesaris ripam studiosa florum aura colludens (obscrepit) Sar. III 16, 34 sq.	Nuper in pratis studiosa florum et debitae Nymphis opifex coronae Hor. III 27, 29.
hic levis circum iocus et decentes Gratiae Sar. III 16, 42 sq.	iunctaeque Nymphis Gratiae decentes Hor. I 4, 6. (cf. I 2, 34.)
o magistrum numen! o Graiae fidicen Camoenae Phoebe Sar. III 16, 49 sqq.	doctor argutae fidicen Thaliae Phoebe Hor. IV 6, 25 sq.
Vindex avarae fraudis et abstinens lucrantis auro regna pecuniae rerumque prudens Sar. III 18, 29 sqq.	vindex avarae fraudis et abstinens ducentis ad se cuncta pecuniae consulque Hor. IV 9, 37 sqq.
lucretur aevum; quos sibi dempserit caris redonaturus annos	quod tibi dempserit adponet annus Hor. II 5, 14 sq.
coniugibus puerisque caris. Sar. III 19, 18 sqq.	pro pudicis coniugibus puerisque primus Hor. IV 9, 23 sq.
Mitte sectari, quis amoena praeter prata non parco fluat amnis auro Sar. III 23, 5 sq.	mitte sectari, rosa quo locorum sera moretur. Hor. I 38, 3 sq.
Qualis trisulci fulminis impetus quem Daedaleis foeta vaporibus pinguemve pabulata terram	Qualem ministrum fulminis alitem Hor. IV 4, 1.
per medias rapit ira nubes Sar. III 24, 1–4.	per medias rapit ira caedes. Hor. III 2, 12.
grassatur igni: iam capitis minor aut Haemus aut percussa Calpe non humiles[1]) posuere fastus. Sar. III 14, 10 sqq.	parvosque natos ut capitis minor ab se removisse et virilem torvus humi posuisse vultum. Hor. II 5, 42 sqq.
(ruunt) e nube fata, non sine montium clamore Sar. III 24, 17 sq.	volventis una, non sine montium clamore Hor. III 29, 38 sq.
talis superbis irruit hostibus mortis decoro[2]) pulvere sordidus Sar. III 24, 21 sq.	non indecoro pulvere sordidos Hor. II 1, 22.

[1]) cf. Hor. I 37, 32.

[2]) Hoc loco noster, sicut saepe imitatores, proprie dixit quod fuit in antiquis scriptoribus litotes (cf. Weyman, Studien über die Figur der Litotes p. 42).

et fronte plenum laetitiae diem intaminatis pulcher honoribus ostendet Sar. III 27, 21 sqq.	Virtus, repulsae nescia sordidae intaminatis fulget honoribus Hor. III 2, 17 sq.
Gelonus vipereo metuendus ictu. Sar. III 27, 39 sq.	Liber parce gravi metuende thyrso. Hor. II 19, 7 sq.
(Eridanus) aquosum immodico bibit ore coelum Sar. III 28. 11 sq.	Augustus recumbens purpureo bibit ore nectar. Hor. III 3, 11 sq.
Sed quam recentes cum violis rosae, omnisque circum copia narium late coronent Sar. III 31, 9 sqq.	tum violaria et myrtus et omnis copia narium spargent . . Hor. II 15, 5 sqq.
Vixi canoris nuper idoneus vates Camoenis: iam citharae vetor sermone defunctumque longo barbiton ingeminare cantu.	Vixi puellis nuper idoneus et militavi non sine gloria nunc arma defunctumque bello barbiton hic paries habebit. Hor. III 26, 1–4.
Iam feriata fistula cum lyra dependet unco: Sar. III 32, 1–6.	Cur pendet tacita fistula cum lyra? Hor. III 19, 20.
O quae coruscantum atria siderum servas et aurei leve perambulas [1]) mundi pavimentum, modestae pelle, Themi, studium Minervae. Sar. III 32, 9–12.	O quae beatam diva tenes Cyprum et Memphin carentem Sithonia nive regina, sublimi flagello tange Chloen semel arrogantem. Hor. III 26, 9–12.
Scimus, ut impias vastata Graiorum per urbes sacra suis periere rixis. Sar. IV 1, 22 sqq.	Scimus, ut impios Titanas immanemque turbam fulmine sustulerit caduco. Hor. III 4, 42 sqq.
cum tulit aureos ad astra mores atque avaro . . . invidit Orco Sar. IV 2, 34 sqq.	moresque aureos educit in astra nigroque invidet Orco. Hor. IV 2, 22 sqq.

[1]) cf. Hor. epod. 17, 41.

Quo cum volentem fata reduxerint nil interest, an morbus an hosticus impellat ensis, quo supremum urget iter. Semel advehemur quam navigamus semper in insulam seu lata magnis stravimus aequora reges carinis, seu Quirites exigua vehimur phaselo. Sar. IV 3, 53–60.	Divesne prisco natus ab Inacho nil interest an pauper et infima de gente sub divo moreris victima nil miserantis Orci. Omnes eodem cogimur . . Hor. II 3, 21–25.
Vobis fugaces vidi ego Bistonum Errare lunas, signaque barbaris Derepta vexillis Sar. IV 4, 65 sqq.	Et signa nostro restituit Iovi derepta Parthorum superbis postibus . . . Hor. IV 15, 6 sqq.
Potenti sic Nemesi placitumque Fatis. Sar. IV 6, 47 sq.	Sic potenti Justitiae placitumque Parcis. Hor. II 17, 15 sq.
Palaestinosque colles et Solymi iuga parricidae. Sar. IV 9, 47 sq.	Telegoni iuga parricidae. Hor. III 29, 8.
huic nunquam paternae fumus erit lacrimosus aulae. Sar. IV 15, 23 sq.	nisi nos vicina Trivici villa recepisset lacrimoso non sine [fumo. Hor. serm. I 5, 79 sq.
Iam tibi nubes fugiunt aquosae Sar. IV 18, 5.	concidunt venti fugiuntque nubes Hor. I 12, 30.
Iam parcit segeti messor, et algidas pastor cum grege valles et pictae volucres petunt. Sar. IV 19, 6 sqq.	Iam pastor umbras cum grege languido rivumque fessus quaerit et horridi dumeta Silvani Hor. III 29, 21 sqq.
quis mihi te locus caecis invidet umbris aut spissa nemorum coma? Sar. IV 19, 10 sqq.	spissae nemorum comae fingent Aeolio carmine nobilem. Hor. IV 3, 11 sq.
Quis ventus gracili[1]) praeflet anhelitu. Sar. IV 19, 14.	sublimi fugies mollis anhelitu Hor. I 15, 31.

[1]) cf. Hor. c. I 5, 1.

Quod si canoro carminis alite Sar. IV 20, 41.	victor Maeonii carminis alite Hor. I 6, 2.
Vides, ut altum fluminis otium rerum quieta ludit imagine Sar. IV 31, 1 sq.	Vides ut alta stet nive candidum Soracte Hor. I 9, 1.
nil sectator Horatii sublimis liquidum nitor in aëra Sar. IV 32, 21 sq.	Non usitata nec tenui ferar penna biformis per liquidum aethera Hor. II 20, 1 sq.
Quamvis et viridi pastor ab aggere dicat graminea carmina fistula Sar. IV 35, 9 sq.	Dicunt in tenero gramine pinguium custodes ovium carmina fistula Hor. IV 12, 9 sq.
arcisque iactat inter alta turrium insigne propugnacula timenda quondam Caesarum turmis [ducum Sar. epod. 1, 13 sqq.	Ibis Liburnis inter alta navium amice propugnacula paratus omne Caesaris periculum subire Hor. epod. 1, 1 sqq.
Haec si videret foenerator Alphius olim futurus rusticus quam collocarat idibus pecuniam nollet kalendis ponere. Sar. epod. 3, 99–102.	Haec ubi locutus foenerator Alfius iam iam futurus rusticus omnem redegit idibus pecuniam quaerit kalendis ponere. Hor. epod. 2, 67–70.
Qualis severa vel Gelonorum puer mollire posset pectora Sar. epod. 4, 5 sq.	impube corpus, quale posset impia mollire Thracum pectora Hor. epod. 5, 13 sq.
non nudus ensium timor unquam revellent a tua Iesu, cruce hoc multa fleturum caput. Sar. epod. 5, 2 sqq.	non usitatis, Vare, potionibus o multa fleturum caput ad me recurres Hor. epod. 5, 73 sqq.
At tu sereno, nam potes, vultu tuum tuere[1]) Sar. epod. 5, 13 sq.	et tu, potes nam, solve me dementia Hor. epod. 17, 45.
nullique latam limites signent humum Sar. epod. 8, 46.	pede certo signat humum Hor. a. p. 158 sq.
Tum quibus parca dape non dolendae vocis accessit bona pars: o alma Sar. epod. 11, 9 sq.	Tum meae, si quid loquar audiendum vocis accedet bona pars et, o sol Hor. IV 2, 45.

[1]) cf. Hor. c. IV 3, 1 sq.

obvium fessos nemus hospitali excipit umbra. Sar. epod. 11, 83 sq.	umbram hospitalem consociare amant ramis Hor. II 3, 10 sq.
quoties odora dulce ridenti tibi myrrha spirat dulce loquenti. Sar. epod. 12, 98 sqq.	dulce ridentem Lalagen amabo dulce loquentem. Hor. I 22, 23 sq.
iussit per obstantes procellas fatidicam celerare pinum Sar. epod. 14, 7 sq.	per obstantes catervas explicuit sua victor arma. Hor. IV 9, 43 sq.
Si vera praesens vaticinantibus Latous edit, credite posteri, Sar. epod. 15, 37 sq.	Bacchum in remotis carmina rupibus vidi docentem, credite posteri Hor. II 19, 1 sq.
et Moschus et nuper Borussus compositis tibi debet armis. Sar. epod. 18, 15 sq.	te caede gaudentes Sygambri compositis venerantur armis. Hor. IV 14, 51 sq.
Quis caneret tui cum pace delabentis agmen eloquii Sar. epod. 19, 30 sqq.	cum pace delabentis Etruscum in mare Hor. III 29, 35 sq.

Praeter quos exscripsimus locos parallelos alii sunt permulti quibus aut vocum aut metaphorarum similitudine vel commatum in eodem metro paritate aut parva tandem argumenti mutatione certa quaedam Horatiana verba innuit, magna interdum arte usus et ubique ostendens, quam sibi familiares Venusini venustates fuerint. In eo tamen peccavit, quod quae ei magis arridebant, aequo saepius immiscuerit, ita ut ubi temperantia delectare poterat, aliquatenus fastidium lectori generaret.

Pace rident-tetricae rupes
Sar. I 1, 33 (Hor. IV 11, 6).

Quaeque formosos sedet inter ignes,
sedulam pro te miserata Romam
virgo, quam circum glomerantur albis
astra choreis
Sar. I 1, 53–56 (Hor. c. s. 69–72).

Indignas, Lyce, naenias Hor. II 20, 21.
. . . et hispidis frontem nubibus expedi
(Hor. IV 10, 5).
Sar. I 2, 1–3.

Moestum sol hodie caput,
cras laetum roseo promet ab aequore.
Sar. I 2, 9 sq. (Hor. c. s. 9 sq.).

. . . attollere alte, non sine numine
luctabor Sar. I 3, 13 (Hor. III 4, 20).

ite magni-saecula deproperate menses.
Sar. I 3, 60 (Hor. II 7, 24).

At nos recurvo poplite per vias
patrem colentes, ter niveum tibi
nimbum ligustri, ter rosarum
Puniceum iaciemus imbrem.
Sar. I 5, 37–40 (Hor. IV 15, 25–32).

si non et ipsi stringere Noricos
audemus enses
Sar. I 6, 33 sq. (Hor. I 16, 9; epod. 17, 72).

dedecus ultimum
mundi fatiscentisque naturae
opprobrium.
Sar. I 6, 66 sqq. (Hor. II 13, 3 sq.).

Ibis, belligerae regna Poloniae
et gratae repetes limina patriae
Sar. I 9, 1 sq. (Hor. epod. 1, 1).

qua corusco
concutitur Iovis aula curru
Sar. I 10, 31 sq. (Hor. I 34, 5 sq.).

Tardum sereni partibus aetheris
te sidus addas
Sar. I 10, 57 sq. (Hor. I 2, 45;
Verg. georg. I, 32).

Est cui supellex et vigil ignibus
risit caminus?
Sar. I 12, 73 sq. (Hor. II 6, 14).

. . duris merito lupatis-corripis frenum
Sar. I 14, 38 sq (Hor. I 8, 6).

An nos repensam sanguine gloriam
frustra futuris emimus?
Sar. I 15, 17 (Hor. III 5, 25).

Martemque maiorumque pugnas
egregriis iterare factis
iuremus. Sar. I 15, 35 (Hor. I 7, 32).

Bella nos pictis simulamus armis
splendide fortes et inane pugnae
(Hor. III 11, 35).

nomen et docti vacuum duellis
ludere Martem (Hor. III 24, 56).
Sar. I 16, 45–48.

Hic albis tumulum sternite liliis
fulgentis pueri domus
Sar. I 19, 14 sq. (Hor. epod. 2, 65).

Mugiant cano, sine, bella ponto
Sar. I 21, 5 (Hor. epist. II 1, 202).

ubi mitigatus
sole vicinos iaculante montes
liquitur humor.
Sar. I 21, 18 sqq. (Hor. I 2, 3; III 12, 11).

Te genu nixi dicidere Medi
Sar. I 21, 25 (Hor. II 20, 19).

At tibi frigus capitique cani
semper haerebunt
Sar. II 2, 9 sq. (Hor. I 32, 10).

Quem donet astris gloria fortiter
ignarus Sar. II 10, 5 sq. (Hor. I 26, 5 sq.).

me iactet arcanum probrosis
flagitium simulare tectis
Sar. II 10, 11 sq. (Hor. III 5, 39 sq.).

omnisque servet limina civitas
Sar. II 16, 77 (Hor. epod. 16, 36).

Quis literati munera Caesaris
fusasque prona divitias manu
et tecta, quae pecuniarum
auriferis micuere nimbis
laboriosi carminis arbiter
aeternet? O qui sacra biverticis
delubra Parnassi et canorum
imperiis Helicona frenas . . .
Sar. II 17, 1–8 (Hor. IV 14, 1–9).

Iam vero illud celebre Horatii III 3, 7 si fractus illabatur orbis — impavidum ferient ruinae — non solum aperte imitatus est II 16, 17 sed praeterea certe ter tetigit:

Iam nutat aether; iam barathrum prope,
vastisque campi dissidiis hiant:
iam fractus illabatur orbis
sacrilego capiti.
II 24, 69—72.

Qui bella regum et illacrimabiles
rerum tumultus flectere providus
mundi laborantis ruinas
extulerat subeunte collo.
III 28, 29—32.

rerum ruinas, mentis ab ardua
sublimis aula, non sine gaudio
spectabit, et late ruenti
subiiciens sua colla coelo
mundum decoro vulnere fulciet,
interque coeli fragmina . . .
IV 3, 41—46.

non indecorae nube modestiae
extinguis aurum vilius adspici
Sar. III 9, 29 (Hor. I 19, 8).

Carminum praeses citharaeque Clio
Sar. III 10, 1 (Hor. III 22, 1).

quae geminam sine fraude Libram
aevique frenos et celeres vehi
compescit Horas.
Sar. III 11, 32 sqq. (Hor. II 19, 19 sq.).

Sed bene mutuo
rerum consuluit iugo
naturae dominus . . .
Sar. II 12, 11 sqq. (Hor. II 12, 15).

Te clara divum progenies Honor
Marsae canemus carmine tibiae
Sar. III 14, 1 sq. (Hor. IV 15, 32).

aequoris impiger
veloque et obluctante remo
Otrygiis equitabit undis.
Sar. III 19, 38 sqq. (Hor. IV 4, 44).

ohe! quo per inhospitas
afflata leni pectora flamine
nubes, inaccessosque tractus
et superas agit inter arces
Sar. III 25, 25—28 (Hor. IV 2, 26 sq.).

Effrena vestra detumeant prece
formidolosae bella Propontidos
Sar. III 27, 37 sq. (Hor. I 21, 15 sq.).

sed plana per rerum profundo
ore ruis mediusque ripae
Sar. III 28, 47 sq. (Hor. IV 2, 7 sq.).

Quo nos avorum bella trahunt, retro
seri nepotes ibimus? Ibimus
pulchros redordiri labores
Sar. III 28, 53 sqq. (Hor. II 17, 9 sq.).

An Cimber an te lectus ab ultimis
Pictus Britannis ambiat, an Geta
nil allabores
Sar. IV 3, 9 sqq. (Hor. I 38, 5).

quid Seres aversoque pugnax
Parthus equo Cilicumque turmae
contra sequacis pectora Sarmatae
possent fugaces?
Sar. IV 4, 51—54 (Hor. III 29, 27 sq.).

Spes nimias deus
plerumque foedos ducit ad exitus
ridetque, gaudentem superbum
immodicis dare vela votis.
Sar. IV 4, 81—84 (Hor. III 29, 29—32).

Iessea quisquis reddere carmina
audet Latini pectine barbiti
audet redordiri superbae
turrigeras Babylonis arces.
Quantus Poloni e vertice Carpati
ruptis inundat Vistula fontibus
se fert, inexhaustusque tanto
Isacius ruit ore vates.
Sar. IV 7, 1–8 (Hor. IV 2, 1 sqq.).

Me Gothus saevis religet catenis
me Scythes captum rapiat, soluta
mente vobiscum potero tremendos
visere reges.
Sar. IV 14, 21–24.
(Hor. I 22, 17 et 21–24).

aut Veiente curru
aut Veneta comes ire cymba
Sar. IV 15, 19 sq. (Hor. epist. I 7, 76).

Virtus, agresti dives in otio
sese ipsa claudit finibus in suis
plerumque et insonti quietum
in palea solium reclinat
Sar. IV 15, 25–28 (Hor. III 2, 17–20).

sub Iove libero
natam militis indolem
frustra belligero clauditis otio.
Sar. IV 16, 6 sqq. (Hor. I 1, 25 sq.).

Quod si non vacuum genus
iactamus timidi, cur fugimus . . .
Sar. IV 16, 37 sq. (Hor. I 14, 13).

dona magnis
parva animo placuere magno.
Sar. IV 17, 11 sq. (Hor. III 3, 72).

lenior excipe
non ante testudo locutis
quae mea cunque sonat Camoenis
Sar. IV 20, 6 sqq. (Hor. IV 9, 3 sq.).

seu pelagi Pharos
seu certa tu mavis vocari
ambiguis Cynosura nautis
Sar. IV 20, 14 sq. (Hor. III 4, 3 sq.).

Post longas hiemes, dum nimium bre-
[vis
aestas se levibus praecipitat rotis
Sar. IV 23, 5 sq. (Hor. II 3, 13 sq.).

Non eadem fluet
aetas et auro deterius diem
procudet argentum, ac sonoro
belligerum gemet aere tempus;
tandemque ferro saecula corruent.
Sar. IV 27, 45–48.
(Hor. III 6, 46 sqq.; cf. Hor. epod. 16, 65).

Eheu, quae nova barbaris
effusa tempestas ab oris
fulminat?
Sar. IV 29, 50 sqq. (Hor. III 17, 11).

Frustra: nam in urna surdus et imme-
[mor
iacebo pulvis. Me tamen integrae . . .
Sar. IV 29, 129 sq. (Hor. III 7, 21 sq.).

Talem severae lege modestiae
compone mentem
Sar. IV 31, 5 sq. (Hor. II 3, 1 sq.).

Tursci, seu brevior mihi
seu pernox oculos composuit sopor
pennas somnia levibus
affigunt humeris
Sar. IV 32, 1–4 (Hor. II 20, 11 sq.).

ne veteri clarior Icaro
veris fabula casibus (Hor. epod. 11, 8).
mutem Parrhasii nomina Baltici.
Sar. IV 32, 28 sqq. (Hor. IV 2, 3).

Iam pridem tepido veris anhelitu
afflarunt reduces arva Favonii
iam se florida vernis
pingunt prata coloribus
Sar. IV 35, 1–4 (cf. Hor. I 4, 1 sqq. et IV 12, 3 sqq.).

Ergo rumpe moras et solidum gravi
curae deme diem . . .
Sar. IV 35, 49 sq. (Hor. IV 12, 25).

otii
beata nutrix, o Polonae
primus honos, columenque gentis
Sar. IV 38, 6 sqq. (Hor. II 17, 4).

iam resonabiles
campi iocosa vocis imagine
collesque certatim et profundae
plausibus intonuere silvae.
Sar. IV 38, 81–84 (Hor. I 12, 3 sq.).

Tibi laetus Afer
et pedum Maurus minor . . .
Sar. epod. 6, 150 (Hor. III 5, 42).

Sic ames nostris, bona virgo, saepe
hostibus nosci
Sar. epod. 11, 73 sq. (Hor. I 2, 50).

signaque gentibus
erepta vicinis reportans
Sar. epod. 14, 34 sq. (Hor. IV 15, 6 sq.).

civesque belli pulvere sordidos
paci redonas
Sar. epod. 16, 10 sq. (Hor. II 1, 22).

Pars illa mentis, quae strepitus suo
curasque regum ridet ab angulo
Sar. epod. 19, 45 sq. (Hor. I 9, 22).

Porro illam excitati animi quaestionem Hor. III 4, 5 septies vel imitatus est vel adumbravit satis aperte:

1. Auditis? an me ludit amabilis
imago pompae? Iam videor pios
audire plausus et frementes
caeruleum per inane turmas.
I 3, 41–44.

2. Auditis? Istri litora personat
ferale cornu . . . I 8, 25 sq.
an nos Caleno mensa tenet mero? 30.

3. Ludor? sequaces an subeunt latus
feruntque venti? iamque iterum mihi
et regna decrevere . . . II 5, 77 sqq.

4. Videtis? an me ludit amabilis
imago divae? Iam videor pios
audire plausus et sonantes
caeruleum per inane currus
II 11, 21–24.

5. Rerumne falsa ludor imagine?
An picta mundi moenia et igneas
arces . . . praevertor? III 11, 9–13.

6. Errorne mentes ambiguas rapit
an clamor aures? IV 1, 61 sq.

7. Ludor? an mollem foliorum ad [auram
lene vocales modulantur alni?
epod. 11, 85 sq.

cf. etiam IV 21, 1 sq.

Ita Hor. I 12, 23 *nec te, metuende certa Phoebe, sagitta* imitatus est certe quater I 14, 29; III 27, 40; IV 4, 48; epod. 17, 32. Hor. I 19, 8 *voltus nimium lubricus ad*-[*spici*
ter I 4, 3; I 11, 22; III 9, 30.
Hor. I 22, 23 sq. *dulce ridentem Lalagen amabo — dulce loquentem*
bis IV 24, 5; epod. 12, 95.

Hor. I 38, 3 *mitte sectari, rosa . . .*
bis III 23, 5; IV 18, 10.
Hor. II 1, 22 *non indecoro pulvere sordi-*
ter I 20, 1; III 24, 22; epod. 16, 10. *[dos*
Hor. II 13, 4 *perniciem opprobriumque*
bis I 6, 68; III 14, 96. *[pagi*
Hor. II 17, 4 *grande decus columenque*
bis I 6, 68; III 14, 96. *[rerum*

Hor. III 2, 12 *per medias rapit ira caedes*
ter III 14, 36; III 24, 4; III 24, 28.
Hor. IV 9, 43 sq. *per obstantes catervas explicuit sua victor arma*
ter II 24, 24; III 24, 24; IV 4, 24.
Hor. IV 14, 52 *compositis venerantur*
bis III 27, 28; epod. 18, 16. *[armis*

Non paucos etiam alios praeter Horatium poetas, ut p. 15 diximus, attentissime perlegit, ex quorum poematis quae paene verbo tenus deprompta suis autor intexuit, hic exscripsimus, credentes quaedam relinqui, quae vel obscurius a poeta inserta sunt et paene abscondita, alia etiam nostram aciem fugisse, ut postea maneat spicilegium quoddam otio abundantibus.

Iam profanatis male pulsa terris (Salus revisit oppida) Sar. I 1, 2.	Rara profanatas inspectant numina [terras Stat. silv. III 3, 2.
Candidi soles (revocantur) Sar. I 1, 9.	Fulsere quondam candidi tibi soles Cat. VIII, 3. (cf. Tib. III 6, 30).
Fati difficilem iecerit aleam Sar. I 2, 6.	Placet alea fati-alterutrum mersura ca- [put. Lucan. VI 7 sq. (VI, 603).

Pegaseus . . temo Sar. I 3, 2 sq.; eodem verbi valore (pro curru) apud Iuven. sat. IV 126.

(audire videor) frementes Caeruleum per inane turmas Sar. I 3, 44.	lapis vacuum per inane volutus Verg. Aen. XII 906. (cf. Hosius ad eclog. VI 31).
Currite saecula Dixere Musae: currite . . . Sar. I 3, 57 sq.	Talia saecla suis dixerunt currite fusis. Verg. ecl. IV 46. (cf. Cat. 64 v. 327 et saepius).
(barbara) auri corripuit fames Sar. I 9, 8.	auri sacra fames Verg. Aen. III 57.
Tibrimque propter ducere languidos Permitte somnos Sar. I 10, 85 sq.	potes hoc sub casu ducere somnos Verg. Aen. IV 560.
Non gelidis Erasinus undis Sar. I 12, 56.	Inachus et gelida surgens Erasinus in [unda Stat. Theb. I 357.

Est, cui supellex et vigil ignibus
Risit caminus? Sar. I 12, 73 sq.

Non parca tellus pervigil et focus
Stat. silv. IV 5, 13.

Cum versa Thracum parma trementi-
Fronderet hastis [bus
Sar. I 15, 13 sq.

Eadem imagine: densamque ferens in
pectore silvam (= sagittas et hastas)
Lucan. VI 205.

Non vides, quantam novus, ecce, surgit
Poenus in hastam.
Sar. I 16, 27 sq.

iamque Odrysiam Gradivus in ha-
Surgeret ... [stam
Stat. Ach. I 485 sq.

(Iuvet) solito frontem assurgere cono.
Sar. I 16, 43 sq.

solitam consurgere gemmis (comam)?
Claudian. laus Ser. 3.

Non vivi paries vitri ... (principem cla-
[rabit)
Sar. I 17, 1.

Et vivum certis motibus urget opus.
Claudian. in sphaeram Arch. XLIII 8.
(Ieep II 176).

Innubique nitens ore meridies
Sar. I 17, 8.

Et fulsit Iole qualis innubis dies
Seneca, Herc. Oet. 238.

aut clypeo super
Effusus, aut se cespitis explicet
Per summa ... Sar. I 20, 9 sqq.

... et omnem
Explicuit per membra virum
Lucan. IV 628 sq.

Manes avorum quis bene prosperis
Excuset armis? Sar. I 20, 37 sq.

Obsessi principis armis
Excusate nefas.
Claudian. Bell. Polent. (Getico) 561 sq.

Delent peremptorum ruinas
Hinnulei timidaeque damae.
Sar. I 20, 43 sq.

Cum canibus timidi venient ad pocula
[damae.
Verg. ecl. VIII 28.

Paene metu glaciante pontum
Sar. I 20, 72.

... stupet anxius alto
Corda metu glaciante pater
Stat. Theb. X 621 sq.

Mugiant cano, sine, bella ponto
Sar. I 21, 5.

... sed fluctu spumabant caerula cano
Verg. Aen. VIII 672.

Sole vicinos iaculante montes
Liquitur humor.
Sar. I 21, 19 sq.

Vere novo gelidus canis cum montibus
Liquitur. [humor
Verg. georg. I 43 sq.

Ister asserta famulatur unda Sar. I 21, 22. Quis (amnis facundus) Siticulosis influit auribus . . ? Sar. I 22, 1 sq.	Sic nobis Scythicus famuletur Araxes Claudian. in Ol. et Prob. cons. 160. cf. Nequiquam populo bibulas dona= [veris aures Pers. IV 50.
(qui fons) nunc apertis Ingenii spatiatur arvis Sar. I 22, 31 sq.	lato spatiantem flumine Gangem Ovid. trist. V 3, 23.
Martis belligera pendula fraxino (= hasta) Sar. I 23, 22.	et infandos belli (v. l. instantis belli) potura cruores-Fraxinus . . . Stat. Theb. VI 102.
Hic ducta primis oppida moenibus Minantur in coelum Sar. I 5, 13 sq.	geminique minantur In coelum scopuli Verg. Aen. I 162 sq.
Dira lues populatur agros Sar. I 5, 20.	Non dira illa lues notis iam moenibus Assiliet [urbis Sil. It. XVI 622.
At si semideum genus . . . (canimur) coelo ducere sanguinem . . . Sar. II 9, 7 sq.	(Vos quoque . . .) Fluminaque et Nymphae, Semideum= [que genus. Ovid. Ibis 81.
Nunc ad saxa biverticis Parnassi residem . . . Sar. II 9, 59 sq.	Delius insurgit, summaque biverticis Parnassi residens . . . [umbra Stat. Theb. I 628.
Quem nimis asperum Exsuscitando numina gentium Regem esse nolebant veterno . . . Sar. II 10, 21 sqq.	Nec torpere gravi passus sua regna [veterno Verg. georg. I 124.
igneas flictu rotarum fervere semitas Sar. II 11, 29 sq.	tum scuta cavaeque Dant sonitum flictu galeae . . . Verg. Aen. IX 666 sq.
Murmur et currus et hiulca rauci Fulmina belli Sar. II 12, 19 sq.	Pleiadum Boreaeque et hiulci fulminis [expers Stat. Theb. I 26.
(Vetabo) Vindex reponas (= ulciscaris) verba calumniis Sar. II 16, 41.	Eadem vis verbi: Iuven. sat. I 1 sq. nun= quamne reponam-Vexatus . . . cf. Bentleius ad. Hor. epist. I 19, 39.

O quae nubivaga, Calliope, polum Praeterlaberis orbita Sar. II 22, 16 sq.	Hic pro nubivago gratus pia templa [meatu Instituit Phoebo Sil. It. XII 102 sq.
(Mavors) iam tibi mulcet iras Sar. III 13, 7.	(Umbro) mulcebat iras Verg. Aen. VII 755.
Seu rauca vulgi murmura Sar. III 14, 49.	Illa (unda) cadens raucum per levia Saxa ciet [murmur Verg. georg. I 109 sq.
Tecum supellex aurea et asperi Gemmis tiarae . . . Sar. III 14, 89 sq.	Bina dabo argento perfecta atque aspera Pocula . . . [signis Verg. Aen. IX 263 sq.
Vos Aventinum Capitoliique im- mobile saxum. Sar. III 16, 19 sq.	Dum domus Aeneae Capitoli immobile Accolet . . . [saxum Verg. Aen. IX 448 sq.
Hic comata lilia . . . Sar. III 21, 33.	Ubi iste post phaselus antea fuit Comata silva (= arbor) Cat. IV 11.
Impendiosae merce scientiae Sar. III 31, 49.	cf. Plaut. Bacch. III 2, 12 (396): impendiosum te (ἅπαξ λεγόμενον).
Musis amicam Gaudet honor redimire frontem. Sar. IV 2, 11 sq.	Pieriam tenui frontem redimire coro- [nam . . . Martial. VIII 70, 5. (vide Friedländerum ad l.)
Seu forte miles belligeras lyra Transsumit hastas . . . Sar. IV 7, 17 sq.	Hermes belligera superbus hasta Martial. V 24, 11.
Frenigeras Pharaonis alas Sar. IV 7, 64 (cf. III 14, 64).	Quisnam frenigerae signum dare dig- [nior alae Stat. silv. V 1, 98.
nec modo Dardanas Culti per artes, fortiore Pausilipi, recinemus oestro Sar. IV 7, 78 sqq.	Tempus erit, cum laurigero tua fortior facta canam. [oestro Stat. Theb. I 32.
Aut vidi aut vidisse putavi Errantem . . . Sar. IV 30, 34 sq.	Aut vidit aut vidisse putat per nubila [lunam Verg. Aen. VI 454.

Auro prata virent: arbor crinitur in au= [rum Sar. IV 30, 37.	Nunc cuncta veris frondibus annuis Crinitur arbos. Stat. silv. IV 5, 9 sq.
Ergo rumpe moras . . Sar. IV 35, 49.	Heia age, rumpe moras . . Verg. Aen. IV 569.
Nec maior usquam spumat, et rupes Benacus assultat salo [truci Sar. epod. 1, 39 sq.	cf.: Fluctibus et fremitu assurgens [Benace marino Verg. georg. II 160.
Iamque suas inter decurrere flumina [valles Sar. epod. 8, 67.	Saxosas inter decurrunt flumina valles Verg. ecl. V 84.
Iamque adeo pulchrae populos rapit [ambitus irae Sar. epod. 8, 7.	Iamque adeo super unus eram Verg. Aen. II 567 (V 864).
Haec canto terris: cetera conscio Arcana virtus intulit aetheri Sar. epod. 17, 77 sq.	fulsere ignes et conscius aether Verg. Aen. IV 167.

DE GRAMMATICA

Grammaticae praecepta eadem fere ubique observat quae Horatius. Nam si de substantivis[1]) quaerimus, neque graecas formas liberius audet neque – in carminibus saltem, de his enim solis loquimur – barbaras.

Adiectiva cum verbis non illepide coniungit neque nimis saepe:

I 1, 51 *nescium carpi*; 9, 27 *(vox) se fundere largior*; 11, 22 *sedulus aspici*; 17, 7 *mitior aspici*;

II 5, 82 *cerni difficilis*;

III 14, 25 *fervidus curare*; 16, 23 *labi sedulus*; 19, 58 *sequi celer*; 22, 6 *vitrea concuti, dilabi facilis, cerea diffluere*; 26, 27 *sterni reluctantes*; 28, 30 *providus flectere*;

IV 29, 35 *severus dare*;

epod. 6, 66 *laetior reparare*.

---

1) Hoc tamen notatu dignum videtur, Sarbievium talia substantiva quae Horatius non nisi rarissime idque sufficienti causa usurpat, aequo saepius (sicut supra de similibus locis dictum est) versibus immiscuisse. Velut Horatius semel habet *acinaces*, Sarbievius ter; ille semel *adorea*, hic ter et decies; ille bis *gaza*, hic decies quater.

Eadem cum substantivis apte conectit, modo magistri sui insistens vestigiis, modo inferens propria:

I 17, 38 *parcior unguium*; 20, 33 *honesti laeta periculi*; 20, 38 *impigrum leti*;

II 23, 9 *parcus irarum modicusque ferri*;

III 1, 34 *viti sincerus*; 1, 38 *fervidus ingeni*; 5, 5 *secura ferri*; 8, 7 *siccae nivium*; 10, 22 *pluviae pauper*; 19, 38 *aequoris impiger*; 28, 17 *venti paventem*; 31, 86 *plurimus eloquî*;

IV 2, 37 *candidus eloquî*; 5, 13 *ignara oppidi*; 7, 34 *strenua aequi*; 9, 21 *veri pugnax*;

epod. 16, 37 *laeta periculi.*

In comparativis adhibendis multo est Horatio continentior (cf. Vollmer l. c. p. 353); praeter solita nihil est quod fusius tractetur.

Pronominis forma rarior semel invenitur *queis* [1]) ablative I 2, 27 et metathesis *nam quae* = quaenam I 23, 1 et IV 38, 1.

Praepositiones suis substantivis ab Horatio in carminibus decies postponuntur, a Sarbievio duodevicies:

quam circum I 1, 55; *regna super* I 3, 4;
tinnitus ad I 6, 79; *populos super* I 15, 38;
clypeo super I 20, 9; *nube super* II 11, 4;
populos super II 20, 13; *pelagus super* II 24, 64;
clade super III 7, 5; *plana per* III 7, 42;
Aetoliam super III 8, 22; *regna super* III 11, 8;
imbre super III 14, 8; *clypeo super* III 20, 7;
plana per III 28, 47; *pennas super* epod. 6, 71;
curru super epod. 6, 179; *prata inter* epod. 10, 62.

DE FIGURIS

Si vero σχήματα λόγου inquirimus, quae grammaticae praecepta grata variatione infringant, vix sunt quae indicentur: sed rhetoricas figuras, quae solent vulgo [2]) enumerari, magnam partem admisit.

---

[1]) cf. Neue, Formenlehre II³ p. 469 (§ 59).

[2]) cf. e. g. carmen de figuris (Halm, rhet. lat. min. p. 63 sqq.) et Julii Rufiniani de schematis lexeos (apud eundem p. 48 sqq.).

Simplex verborum ἀναδίπλωσις orta ex fervore canentis haud ita saepe:

II 24, 53: Exspiret auras: *occidat, occidat*[1])
funestus, exsecrabilis, efferus
sector...

Ita similiter I 3, 62 *saecula saecula*
II 24, 50 *rumpite rumpite*
III 26, 22 *occidis occidis.*[1])

Porro **iterationes** quae neque sunt anaphorae nec tamen sua venustate carent sicut illud II 24 13:

Tuo severas pectore *marmora*
duxere venas, *marmora* rupibus
decisa...

vel I 7, 37 Eheu! Telephe *ludimur*
fatorum rapida *ludimur* orbita.

His confer I 7, 57 sq. *curet*; I 2, 15 *fatis*;
I 3, 5 *eripe*; I 8, 46 *Phoebus*; I 17, 14 sq. *pandite*;
I 19, 10 *cur*; I 20, 17 *quantus*;
II 16, 6 *nil*;
III 15, 11 sq. *saecula*; III 16, 3 sq. *ipse*; III 16, 5 *ite*;
III 19, 30 *poscit*; III 24, 51 sq. *vivit*; III 28, 54 *ibimus*;
III 28, 57 *solus*; III 29, 28 *iuvat*; III 29, 43 sq. *nosco*;
III 29, 98 sq. *restat*; III 30, 13 sq. *succute saecula*;
IV 4, 1 sq. *Galesus*.

Anaphoras, quia omnes enumerari longum est, saltem indicamus breviter:

I 4, 9 et 11 *iure*; I 6, 29 et 31 *frustra*;
I 9, 25 sq. *te*; I 10, 17 sq. *me* (ter);
I 12, 63 sq. *hunc* (ter); I 14, 1 et 3 *nullus*;
I 16, 17 sq. *te*; I 17, 41 et 45 *nusquam*;
I 19, 1 sq. *urit*; I 19, 13—18 *hic* (quater);
I 23, 13 sq. *iam nunc*;
II 2, 6 sq. *fugit* (ter); II 4, 1, sq. *si*; II 9, 44 sq. *seu*;
II 12, 17 sq. *iura*; II 12, 22 sq. *illa*; II 12, 22 sq. *ite*;

---

[1]) cf. Hor. IV 4, 70 occidit, occidit
spes omnis et fortuna nostri
nominis Hasdrubale interempto.

II 15, 21 sqq. ob eximiam pulchritudinem exscribatur:

Quem Phoebus *citharae* pater
quem laetae citharis Pierides *amant,*
laetum barbita Narviam
laetum virginei semper *ament* chori.

II 16, 6 sqq. *nil* (ter); II 16, 94 sq. *hunc*;
II 27, 8–11 *me* (ter); II 28, 14 sq. *cane* (ter);
III 10, 13 et 15 *narret*; III 13, 6–10 *iam* (quinquies);
III 14, 53 sq. *centum*; III 16, 9 sq. *o ubi*; III 19, 1 sq. *si*;
IV 1, 57 sq. *noster*; IV 3, 25–30 *non* (sexies);
IV 4, 75–78 *hic* (quater); IV 15, 1 sq. *nil* (ter);
IV 18, 5 et 7 *iam*;
epod. 1, 1–5 *huc* (quater); 6, 54 sq. *ausa*;
6, 77 sq. *docta*; 6, 129–133 *vincis* (quater);
8, 57 sq. *iam* (ter); 10, 73–81 *qualis* (quater);
12, 26 sq., 30 sq. *regis* (quater).

Asyndeta pauciora sunt, quippe quae magis motibus concionantis quam ardori poetico suppetere videntur:
IV 29, 61 sq.: *Perrumpe muros, dirue moenia*
Invade portas, sterne solo domos . . .

Item III 22, 14; IV 27, 57 et quae sunt pariter annumeranda anaphoris: II 15, 27 sq.; II 15, 33 sq.; II 16, 103 sq.; II 22, 34 sq.; III 16, 29 sq.; III 19, 30.

Polysyndeton

I 7, 23–35: Magnas interea rapit
urbesque *et* populos *et* miserabili
reges subruit impetu,
et sceptri decus *et* regna cadentium
permiscet cineri ducum,
auratas*que* trabes *et* penetralia
et cives simul *et* super
eversis sepelit turribus oppida:
ac mundi procul arduas
strages*que* *et* cumulos *ac* procerum pyras
festa nube supervolat,
stellarum*que* rotam *et* longa brevissimo
cursu saecula corripit.

I 10, 45 sqq. Magnus*que* late diceris arbiter
coelum*que* terras*que* *et* maria *et* Styga
amnem*que* Cocyti severum *et*
Elysiam cohibere Lethen.

I 16, 30 sqq. Tibi Caesar olim
Thraces *et* ferrum manicas*que* *et* ignem *et*
tela minantur.

IV 7, 33 sqq. Illi *et* propinquus terror in aureo
et Fas *et* aequi strenua Veritas
et candor assedere scamno
et liquidae sine nube leges.

epod. 6, 89 sqq. Te dies *et* nox *et* hiems *et* aestas
ver *et* autumnus properi*que* menses
et leves horae rapido*que* cingunt
saecula passu.

Homoioteleuton

I 21, 13 sqq. Occidit iustae reus hostis *irae*
hostis hibernae dominator *orae*
qua coronatis sinuantur *altae*
turribus Alpes.

et IV 35, 21 sq. Illinc e medio *tota videbitur*
nobis Vilna iugo, *tota videbitur* ...

Alliteratio. Tam perite hanc noster cum ceteris ornamentis saepe conectit, ut omnia exempla non nisi cuncta carmina perlegentibus patescere possint. Quare praestantiora tantum exhibemus:

I 1, 5 Iam *Fides* et *Fas* et amoena praeter
Faustitas ...

II 16, 40 *fervidus* impetuosa *foedis* ...

III 4, 22 sq. *Facilem ferendo*
finge fortunam: *levis* esse *longo*
discit ab usu.

III 23, 29 sqq.: Una mortales numero ferarum
eximit virtus, volucerque notas
siderum sedes animus *solutis*
visere pennis.

IV 3, 5 Impelle *pectus parce* fidelibus
munire *parmis* ...

IV 7, 15 *vinique* rivos et *vetustas*
lacte novo trepidasse ripas.

IV 38, 11 ipsaque *maiestate maior*
et patriae *melior magistra*
felicitatis.

epod. 6, 129 sqq. *Vere* tu *vincis veniente* flores
vincis autumno remeante *vites*
vincis et sucos et odora Medi
vulnera trunci.

cf. praeterea II 12, 15; II 16, 42 sq.; II 16, 48 sq.; III 23, 5–8; epod. 9, 3 sq. et **assonantiam** II 16, 60 et epod. 3, 70.

His videntur annumerandae ὀνοματοποιίαι quibus velut Horatius III 13, 15 sq. et epod. 16, 48 aut rivos lene labentes et murmur eorum imitatur:

III 1, 29 (Aniene fontes)
gratum allocuto, lene cadentibus
in verba lymphis: ite loquacibus
per plana camporum fluentis...

epod. 19, 57 lenique labens lympha volumine
et mollis atque occultus udis
murmuret e violis susurrus,

aut gravia colonorum plaustra difficile per campos acta:

epod. 3, 89 sqq. Illinc herili messor e campo redux
alterna plaudit carmina
et pressa sectos plaustra per sulcos gemunt
ruptura ruris horrea.

Tandem mollitiem ac pacem aevi aurei ita belle pingit:

epod. 8, 80 sqq. sed innocentes et calore languidi
mulcebunt violas, mulcebunt lilia soles
omnique lenis annuet vento seges.

Chiasmus

II 16, 93: Vivimus impares
pares obimus.

epod. 9, 23 sq. Tu bonis pelles mala, laeta moestis
fata reduces.

epod. 17, 47 sq. Procumbe Tellus; sub minutae
ecce deus, deus ecce[1]) frugis
descendit umbra...

Hyperbaton

epod. 8, 67 *Iamque suas inter decurrere flumina valles.*

Litotes (Eius confinia ita adumbrata observavimus, ut restrinxit Weyman, Studien über die Figur der Litotes; Leipzig 1886)

I 8, 20 *non nescius;* 10, 13 *nec inhospita littora;*

III 9, 21 *non inani tuba;* 14, 13 *non indecorae purpurae;* 19, 45 *non imperito remige;*

IV 7, 66 *non inani nomine;* 16, 59 *non nescii;* 20, 51 *non immunis mica;* 30, 9 *non incauta sollertia;* 32, 18 *non ingrata somnia;*

epod. 1, 6 *non inverecundi sales;* 3, 95 *nec inficetā morā.*

In **metaphoris,** quae propriam sibi disquisitionem poscerent, etsi paulum Horatio[2]) videtur esse ieiunior, tamen felici variatione attentum tenet lectorem. Inter LXX fere, quas ex priore libro speciminis gratia congessi, triginta et una ad homines hominumque negotia se conferunt, decem ad ceterorum animalium vel corpora vel motus, septem ad agrestia, ad agricolarum opera tres, ad milites sex, ad fruges et ad flumina quaternae, ad volatum avium tres, duae ad navigia.

Paucioribus quidem sed exquisitis usus est **parabolis** undique petitis quo eum vel memoria vocabat vel ignea qua erat praeditus, rapiebat phantasia. Ut igitur primo loco ponamus quae de homine deque lusu sumpserit: cum de fortunae vicissitudine caneret I 4, 13 sqq., frequentem eius mutationem matri comparat ludenti pueriliter cum puero:

Quod tibi larga dedit hora dextra
hora furaci rapiet sinistra[3])
more fallentis tenerum iocose
matris alumnum.

---

[1]) cf. Verg. Aen. VI 46.

[2]) cf. Nicol. Sabat, De imaginibus atque tropis in Horati carminibus, Eos III 1 p. 3—48, et Baeker, Die Metaphern in den Satiren des Horaz, Stralsund 1883, p. 1—21.

[3]) cf. Ov. met. XIII 111 et interpretes ad Catull. XII 1.

Cum vero προπεμπτικόν dedicaret amico cuidam, imitatus Hor. IV 5, 9–16, patriam eius eodem modo dicit eum I 9, 5–16[1]) (cf. p. 34) desiderare ut mater filium diutius peregrinantem. Ludos puerorum inducit IV 28, 5 quorum inepto nugarum desiderio (prout totius carminis argumentum testatur) conferendi sunt, qui ut opes plures lucrarentur, bella etiam movere non dubitant:

Nam tu cum varia spargis opes manu
effusas lepido non sine jurgio
raptamus puerorum
sparsas turba velut nuces.

Similiter I 7, 7 pilarum lusum comparat instabili fortunae nunc huic nunc illi benignae, ritu praecipitis pilae

quae cum pulsa cava reicitur manu,
nunc lenes secat Africos,
nunc terrae refugis absilit ictibus.

Ludis etiam Olympiis multitudinem populi confert qui magna pompa ad novi templi fundationem confluxerant (III 27, 5):

Non tot fremebat littus Olympiis
olim catervis, Graia Corinthio
dum lustra certatim Tonanti
instabilis celebraret Ithmos.

Ex mythologia rarius similitudinem petit, primum, cum epod. 11, 34 constantiam in resistendo et gravitatem magni cuiusdam ducis Lithuaniae cui nomen Vitoldo celebrat, qui

rectus Eoam stetit in procellam
qualis armatas hiemes et omnem
sustinet Calpe Thetin[2]) atque inexpugnabilis obstat.

---

[1]) Hoc προπεμπτικόν eodem modo incipit quo Hor. l. c. — Id genus carmina omnino scripsit quattuor (I 9, II 14, II 21, III 8) omnia schemati, quod veteribus attribuit F. Jaeger (Das antike Propempticon und das 17. Gedicht des Paulinus von Nola; diss. Monacen. MCMXIII p. 13 sq. et 36) plane dissimilia. Nam in I 9 nullum σχετλιασμόν invenias, nullum periculorum timorem, quia fortunae fluctus non curantem virtus quoquoversus comitatur; in II 14 felix quidem iter navi apprecatur, sed totum est instar voti ad beatam coeli Virginem; in II 21 etsi audaciam profecturi amici admiratur, non tamen dehortatur ut maneat, sed iterum patrocinio ac praesidio eum commendat potentis reginae pelagi ac terrarum, quae „periculorum obiices diruet"; in III 8 amicum abiturum etiam incitat, quia antiquitus destinatum esse videatur ut „nihil perstet quo genitum est loco". —

[2]) i. e. mare.

Altero loco (epod. 14, 29) suae vim poeseos ut amicis exhibeat, in coelestem gloriae sedem se eos ducturum pollicetur:

nam qualis Orpheus Argolicam polo
fixit carinam, non aliter mea
vos inferet coelo Thalia
pectine non facili canendos.

Animalia saepius infert sive ut laudet sive ut detestetur, primum II 25, 32 velocitatem admiratur caprae

quae visis humili in valle leonibus
per praerupta, per ardua
sublimi volucris fertur anhelitu.

At cum IV 5, 17 vehementer inveheretur in Scytharum rapinam et crudelitatem qui Podoliam regionem ferro ignique vastaverant, cum lupis eos comparans ita continuat:

Neglecta quondam sic pecorum lupi
armenta vastant, quae neque pervigil
servat magister nec fideli
cura canum comitata gressu.

Eosdem autem in sequenti carmine (IV 6, 21) ignaviae coarguit lupis iterum similes, cum felici proelio in poenam invasionis profligarentur:

Nocturna quondam sic humili meant
sub antra gressu degeneres lupi
si quando venantum tumultu
avia personuere lustra.

Porro IV 16, 24 sqq. populares suos non aptos esse docens qui munitionibus vel oppidis inclusi diuturnam obsidionem sustinerent, sed apertam et campestrem eis pugnam felicius profecturam, ita leonibus vel aquilis confert:

Prodit inertibus
antris impavidus leo
hostem conspicuis sternere collibus
aer ingenuis patet
in pugnas aquilis.

Similiter eodem loco non inclusum se tenet accipiter sed

Mollibus evolat
nidis cum violentior
visis accipiter pugnat oloribus.

In votivo carmine IV 25, 15 oculorum candorem columbis comparat ita eos dicens lucere ut geminas prope lotas lacte columbas. Neque minus gratam similitudinem deducit epod. 12, 81 sq. a fixo intuitu quo velut lacte perfusae columbae (id est candidae) vitreas semper speculantur undas. Tandem IV 6, 37 minora confert animalia ubi suos admonet, etsi victoria potiti essent, ne tamen adversarios superbiendo contemnerent, quia etiam profligati hostis attenuatae vires ira succrescere soleant:

sunt et inermibus
irae columbis, sunt echinis
sunt apibus sua tela parvis.

Multo rarius parabolas infert a floribus desumptas. Cum III 26, 23–28 adulescentis immatura morte abrepti sortem defleat, ita eum queritur occidisse:

ceu quondam procellis
exanimes cecidere nardi;
Ceu, dum per hortos caerulea manu
desaevit udus Jupiter, imbribus
sterni reluctantes acanthi
lassa solo posuere colla.

Deinde ut divinae sapientiae maiestatem felicemque beatitudinem laudet, cedrum ei dicit similem, cyparissum, annosam Cadani silvam Eoamque rosam aut palmam epod. 6, 121 ad 128:

qualis umbrosa Libanitis aura
cedrus, aut laeto cyparissus amni
qualis attollit caput e Cadanis
silva viretis,
qualis Eois rosa regnat hortis
aut Idumaeis opulenta baccis
palma, quam praeterfugientis humor
educat undae.

Praeter flores et arbores alia inanima non pauca adiunxit et inter haec quidem illa quae terrorem incutiunt, libenter proeliorum terrori confert, ut IV 4, 37 ubi turbulentam describit pugnam:

Non tanta campos grandine verberat
nivalis Arctos: non fragor Alpium
tantus, renitentes ab imo
cum violens agit Auster ornos.

Similiter III 24, 1—20 iuvenem quem vita defunctum deflet, ita dicit superbis irruisse hostibus, quale fulmen trisulcum, quod cum semel excidit immurmurantum carcere nubium, per arva late, per iuga concito grassatur igni .... et describens pugnam Polonorum IV 4, 54 sqq., hinc dicit ruere Polonum hinc Lithuanum atro quale duplex ruit axe fulmen.

Tonitrui iterum IV 16, 18 similes dicit incolas urbis defendentes sedes suas, si rumpentis nebulam more tonitrui clauso proruant oppido, et epod. 16, 44 sqq. fulmini confert Carolum heroem qui secundis

auspiciis cruentum
perrumpat hostem more tricuspidis
flammae citatus ...

Velut nivem vernam cito calore dilabentem dicit III 12, 2 esse res humanas quibus si primam speciem demas,

cetera diffluent
vernae more nivis, quae modo nubium
leni tabuit halitu.

Puri fontis undae comparantur oculi IV 25, 9 et epod. 12, 77; amni vero sensim e nivosis iugis crescenti in magnam amplitudinem confert miram eloquentiam III 28, 1—24 quae parabola forte inter omnes Sarbievianas est elegantissima:

Qualem e nivosis Eridanum iugis
primo cadentem leniter agmine
festae Napaearum catervae
traiiciunt, hilarique circum
plaudunt natatu: mox ubi prodigus
et temperati marginis immemor
prorupit et praeterfluentis
regna procul populosque lusit
errore lymphae, degeneres simul
ripaque et immensi hospitio alvei
dignatus amnes, atque aquosum
immodico bibit ore coelum,
silvisque et arvis latius imperans
ripam evagantis seditionibus
metatur undae, iam natari
difficilis, nimiusque campi,

venti paventem non bene sustinet
dorso phaselum, laetior arduas
subire bellantum carinas
et galeis clypeisque longe
clarus videri, donec Iapygas
amnes avari fluctibus Adriae
submisit, et maiore ponto
velivolum dedit ire Martem:
sic te fluentem . . .

Non minus eleganter sed multo magis concinne amni gemino duo heroes proeliantes conferuntur IV 4, 57 sqq. hostem tanto impetu profligantes

qualis alto se geminus iugo
devolvit amnis raptaque cum suis
armenta silvis atque aperto
praecipitat nemora alta campo,

et IV 7, 5 etiam Vistula similis est vati qui poetico furore abreptus inexhaustus velut amnis devolvitur

quantus Poloni e vertice Carpati
ruptis inundat Vistula fontibus.

Serenus autem vultus placide ridens epod. 10, 73 sqq. similis ab eo dicitur aurorae vel lunae plenae vel soli qui e mari rutilus oritur

qualis Eoos ubi tollit undis
Lucifer currus, roseisque loris
undat, errantes per aquosa ludunt
caerula flammae,
qualis aut Phoebe radiante plenum
lucet argento, mare qualis intrat
aut mari surgit rutilus diurno
Phoebus in auro.

Eandem vultus serenitatem eodem loco v. 81 sqq. confert sideribus. Reliqua quae parabolis innectit, paucis innuam: Orionem epod. 11, 41 sq.; areas quas Sol variaeque scribunt floribus Horae epod. 12, 91 sq.; purpuram, Lydis lotam fontibus IV 25, 18; mella quae Hyblaeo favo manant IV 25, 26.

Allegoriae pauciores sunt: I 7, 13–15; I 13, 1–2 (fortunae vicissitudo); III 26, 1–4; IV 4, 70–72; IV 5, 5–8; tres IV 36, 23–28 (vires esse iungendas).

DE ARGUMENTIS CARMINUM

Tandem de carminum eius argumentis quoque paulo fusius loquamur, quorum qui ea diligentius perlegerint, gratissima varietate delectabuntur. In his iterum partim Horatium secutus est, partim, ubi parcus ille et infrequens deorum cultor ad leviora aut lasciviora descendit, ab eo longissime secedere nostrum oportuit, quod sane nemo prudens improbare potest. Nam quae Io. Godefr. Herderus, aequissimus in talibus arbiter, de arte lyrica Jacobi Baldis[1]) iudicat, pari iure etiam in Sarbievium quadrare existima: ab illicita luxurie commendanda eum et ipsius morum gravitas pariter ac praecepta religionis abstinuerunt. — Nec tamen ideo austerior putandus est, nam amicis, ut ab illis (sicut p. 14) ordiamur, non minus est deditus, quam ille qui nil conferre iucundo volebat amico.[2]) Etiamsi enim humana plerumque falsis nominibus placent, itaque amicorum quoque umbris ludimur,[3]) tamen veri amici respuendi non sunt, sed coetus sodalium visendi eorumque colloquiis cura levanda, quia dolor amicis in auribus vires perdit.[4]) Totum autem hoc carmen est in commendanda laetitia, non secus atque Horatius multis locis fecit.[5]) Ab omni animi frigore et austeritate etiam eo probatur afuisse, quod amicos suos Belgas integro carmine celebravit,[6]) quod tristitiam amicorum tribus poematibus[7]) depellere quaesivit efficaci consolatione plenissimis, quod Urbanum VIII, quem quamdiu Romae morabatur, Maecenatis in se partes susceptisse videbat, pientissimis laudibus extulit.[8])

Divitiae, quibus voluptates aluntur, neque Horatio sufficiebant dicenti

crescunt divitiae, tamen
curtae nescio quid semper abest rei,[9])

---

[1]) Benno Müller, Jacobi Balde Carmina Lyrica Monachii MDCCCXLIV p. V.
[2]) Hor. serm. I 5, 44.
[3]) Sar. II 8.
[4]) Sar. III 5, 21. 25.
[5]) cf. praesertim Hor. I 37; II 3, 13 sqq. III 8, 27.
[6]) Sar. III 29.
[7]) Sar. III 24. 25. 26.
[8]) Sar. I 1. 3. 5. 10. 21. 22. III 17.
[9]) Hor. III 24, 63 sq.

neque Sarbievio, quem sua pauperies, non illa immunda[1]) sed ultro quaesita „ab invidendo auro cautum removit".[2]) Neque ipse beatum dixerit, qui proprio condidit horreo, quidquid de Libycis verritur areis,[3]) nam ita quondam ad Tiberinum[4]):

Divitem nunquam, Tiberine, dices
cuius Eois potiora glebis
rura . . .

Veras autem divitias in sapientis animo latere affirmat,[5]) quem etiam Horatius egregio encomio[6]) uno minorem Iove et divitem et regem regum appellat. Quodsi igitur illum divitem esse dicit Sarbievius, qui nihil habeat,[7]) non vult omnino expers esse bonorum, sed animi penetralia ita bene quaerit disponere, ut non onustus, sed suus moriatur,[8]) quo mentis affectu etiam amicum quendam monuit, ut se solo beatus esse disceret.[9]) Constantem itaque animum a nimia cupiditate nimioque metu temperatum[10]) conservare vult, quod idem monuit Horatius. – Ergo „qui patitur mala ventura praesenti timore, bis miser est",[11]) et bene agnoscit fecisse Deum,[12]) quod laetis tristia occuluit,[13]) atque

inter spem curamque, timores inter et iras[14])

fortunam aequitate mentis vincit,[15])

quid fortuna ferat crastina nesciens,[16])

similis ei, qui diei postero quam minimum credulus praesentem carpere[17]) solebat.

---

[1]) Hor. epist. II 2, 199.
[2]) Sar. II 16, 83 sqq.
[3]) Hor. I 1, 9 sq.
[4]) Sar. IV 34, 1 sqq.
[5]) Sar. III 6 passim.
[6]) Hor. epist. I 1, 106.
[7]) Sar. IV 14, 9.
[8]) Sar. II 16, 101.
[9]) Sar. IV 34, 19.
[10]) cf. Sar. I 13 et Hor. II 3, 1 sqq.
[11]) Sar. II 16, 22 sqq.
[12]) Sar. III 12, 11 sqq.
[13]) cf. Hor. III 29, 29.
[14]) Hor. I 4, 12.
[15]) Sar. III 4, 3.
[16]) Sar. III 6, 5.
[17]) Hor. I 11, 8.

Sed quia mala, quae necopinato ingruunt, vehementius affligunt, firmandus animus in omnes casus est[1]) et praesens res adversa cum silentio perferenda.[2]) Neque tamen ad Stoicorum se duritiem deicit, sed amicis vulnera iubet aperiri,[3]) supremam enim servitutis poenam illum dicit luere, qui palam miser esse non vult.[4])

Gaudia vero, si quando non quaesita accidunt, non odit, sed minoribus[5]) sicut Horatius contentus est, qui fuit

satis beatus unicis Sabinis.[6])

Etiam naturae amoenitatem et delicias vel attentius observavit, quam a veteribus didicerat,[7]) itaque novam cantus suavitatem Romanis addidit fidibus. At quia fugaci semper passu id genus gaudia praetereunt,[8]) nec ulla voluptas unquam fuit satis longa[9]): neque in praesentibus quiescit, nec futuris avide inhiat. Nihil enim inquit[10]) aeternum est, quidquid sacro sinu lenta tulit materies: omne quod ab homine compositum est, aut ab homine rursus deicitur aut ab elementis, nam

natura cassos subruit aemulae
artis labores.[11])

Ideo humana omnia ei sunt plena taedii,[12]) et

Felix ille, cui non breve temporis
momentum placuit, qui iuga mobilis
aevi deposuit, qui sibi lucidam
iam nunc sollicito lumine patriam et
arcem nobilium destinat ignium.[13])

---

[1]) Sar. II 16, 13–17.
[2]) Sar. IV 3, 33–36.
[3]) Sar. III 5, 1.
[4]) Sar. II 16, 67 sq.
[5]) Sar. II 3.
[6]) Hor. II 18, 13.
[7]) cf. Sar. carmina passim, praesertim II 15. IV 22. 26. epod. 2.
[8]) Sar. II 3, 11 sq.
[9]) Sar. IV 23, 10. sq.
[10]) Sar. I 7, 3.
[11]) Sar. IV 8, 33 cf. Schillerus: *Denn die Elemente hassen*
das Gebild der Menschenhand.
[12]) Sar. IV 15, 1 sqq.
[13]) Sar. III 22, 14–18.

Hinc ardens illud odium, quo vitiis bellum indicit,[1]) avaritiam insequitur,[2]) suadet suis concordiam,[3]) non illam necessariam discordemque Empedoclis,[4]) sed quam humanae rationis arbitrium confirmat. Hinc etiam sacri vatis autoritate publicos per vicos iubet[5]) Pacem Amoremque ambulare, exsulare Dolum et lucri Cupidinem,[6]) vituperat socordiam,[7]) adolescentem monet, ne perituro suae aetatis flore decipiatur, sed tempore, quod fugax effluit,[8]) parce utatur,[9]) neque enim temeraria adolescentiae cupiditate vitam oportet institui,[10]) sed ductu rationis.[11]) Hinc virtutis creberrimae in eius ore laudes, multo quidem praestantioris quam Stoicae, quasi vellet eorum calumniam refellere, qui veterum poetarum amicum morum suorum candorem necessario inquinare vociferantur. Nam sola virtus bestiarum numero nos eximit;[12]) huius se praesidio tutum fore sperat.[13]) Neque tamen trita in via virtus investigatur, sed nimium arduis se iugis seposuit.[14])

Praeter amicos a cura etiam ad poesin fugit,[15]) quae eum sublimem[16]) ad errores vulgi despiciendos extollit[17]): haec ei sufficit, adeo umbrosi placet una vallis Pindi.[18]) Verum etiam poesin propter philosophiam colendam relinquit,[19]) licet Lubienius senex

---

1) Sar. II 10.
2) Sar. III 7; cf. Hor. serm. I 1, 103. serm. II 3, 158 sq. epist. II 2, 175 sqq.
3) Sar. IV 36, 21–32.
4) Hor. epist. I 12, 19.
5) Sar. IV 36, 5–15.
6) cf. Hor. epist. I 12, 14.
7) Sar. I 8.
8) Hor. I 4, 15. II 14, 1. IV 7, 9 sqq.
9) Sar. I 5. III 22.
10) Sar. I 14.
11) Sar. IV 10.
12) Sar. III 23, 29–32. cf. Hor. II 8, 18 cuius verba quasi severo lusu inflectit.
13) Sar. IV 12, 25. cf. iterum Hor. III 29, 55 sed praesertim III 24, 21 sq.
14) Sar. IV 10, 4–6. Hor. III 24, 44.
15) Sar. III 16, 5.
16) cf. Hor. I 1, 36.
17) Sar. IV 10, 19–23.
18) Sar. IV 14, 14.
19) Sar. III 32.

paulum stomachetur.[1]) Eloquentius vero quam omnes poetarum et philosophorum libri eum tumuli regum docuisse videntur, quorum tituli ambulantium pedibus calcati gloriae vanae ei fastidium generant.[2])

Quamquam reges aut ullos potentes odio non habet, nil enim bono divi melius mittere rege possunt,[3]) sed constantem et magnanimum magnatem esse decet[4]) mitique animo suis amacilem,[5]) ideoque etiam clementiam purpurato cuidam curiae principi videtur commendare.[6])

Tamen, si bella necessaria sunt, postposita clementia pugnandum quam fortissime est, et in Turcas illo tempore toti Europae infensos acriter suos et saepe[7]) incitat. Etiam gloriam pugnaturis militibus laudare non dubitat,[8]) ignaviam reprehendit vehementissime,[9]) et vanam praesertim equestris ordinis iactantiam,[10]) rixandi quoque innatam cupidinem.[11]) Magis vero necessaria etiam in defendenda patria est pietas morum: frustra oppida cinguntur si delubra squalent[12]) atque sola fides super turrita terrarum sepulchra evenit.[13])

At perinde ac si talia nonnisi lacessitus ab hoste dixisset, omnia bella matribus detestata[14]) et ipse detestatur[15]) maximeque discordias abhorret civiles;[16]) quin etiam arma a regibus poscit

---

[1]) Haec eius ad poetam verba: Miror te a tuis ab amoenis Musarum campis ad obscura philosophiae dumeta traductum, et vereor ne plerisque optimis vestrorum ingeniis aliquid inde detrimenti eveniat, quod studia ad quae nati sint, deserere iubeantur.“ Op. post. l. c. p. 442.

[2]) Sar. II 27.

[3]) Sar. III 13, 14.

[4]) Sar. IV 3, 17–24.

[5]) Sar. I 17, 7.

[6]) Sar. III 3.

[7]) cf. Sar. I 6. 12. 15. 20. II 11. III 19. 20. IV 4. 5. 6.

[8]) Sar. III 19, 1–20.

[9]) Sar. I 16.

[10]) Sar. I 11.

[11]) Sar. IV 16, 58.

[12]) Sar. IV 1, 5–8.

[13]) Sar. IV 8, 38–40.

[14]) Hor. I 1, 24.

[15]) Sar. epod. 8, 5.

[16]) Sar. II 23. Hor. epod. 7.

deponi,[1]) ut tandem acceleretur illa pax aeterna, quam advenire etiam Venusinus ille[2]) omnesque veri nominis poetae vehementer desiderant.

Interim, donec futuram illam beatitudinem ingredi licebit, non sequitur gloriam fugacem,[3]) namque omnia, quae possunt adimi, non sua esse credit.[4]) Ergo, qui alios saepe laudavit,[5]) ipse laudum immemor et utrumlibet fatum aequanimus excipiens[6]) mavult latere[7]) nihilque agit in vitae theatro, nisi ut se plenus, hoc est animi pace non turbata, supremi numinis plausu excipiatur.[8]) Ita ditescit animo[9]) bene factis permansuris in alteram post sepulchrum patriam, ad quam frequenter aspirat.[10])

CONCLUSIO

Haec sunt quae de Sarbievio dicenda sufficere putabam iis, qui in recentiorum saeculorum imitatores Horatianos[11]) diligentius inquirere vellent. Qui vero ipsa poetae carmina perlegent, haec quae modo exposuimus, sonora eum lyra et suavissime conci-

---

[1]) Sar. epod. 8, 125. cf. etiam epod. 18, 45–60.
[2]) Hor. I 2. epod. 16.
[3]) Sar. IV 11, 1.
[4]) Sar. III 6, 9.
[5]) Praeter ea quae sunt ad Urbanum, cf. etiam III 1. 9. 10. 11. 14. 15. 18. IV 2.
[6]) Sar. II 6.
[7]) Sar. II 10, 7–9. IV 12, 1 sq.
[8]) Sar. IV 12, 9–12.
[9]) Sar. III 6.
[10]) Sar. I 19.
[11]) Quanti Horatium ipse fecerit, tum ex omni carminum eius, ut ita dicam, sono exauditur, tum praesertim ex III 16. Nam cum se, ut Heliconis otio frueretur, abdicatis curis forensibus in sacrum Phocidos antrum recepisset, ab amico quodam poscit v. 54 velut summam delectationem:

Tuque (nam me quis prohibet) reposta
affer in primis mihi, Tusce, grati
carmina Flacci.

Aperte eum se fatetur aemulari I 10, 1, cum etiam ipse mundi tumultum ex alto ad exemplum Horatii II 20 speculari se fingit:

Non solus olim praepes Horatius
ibit biformis per liquidum aethera
vates, olorinisve late
cantibus, Aeoliove terras

temnet volatu: me quoque desides
tranare nimbos, me Zephyris super
impune pendere, et sereno
Calliope dedit ire coelo.

nuisse invenient. Nam qui aequi iudices[1]) erunt, non minus egregias poetae dotes laudabunt quam aequales eius, praesertim felicem phantasiae eius audaciam, ardorem vivum loquendi,[2]) inventionis uberrimam varietatem. Non desunt, ut dictum est, quibus offendamur si velimus esse acerrimi, at hoc vetuit fieri ipse[3]) quem imitatus est: nitent enim plurima. Nam ut pauca subiungamus: quam praeclare, cum III 22 dolosas iuventutis delicias dehortatur, adolescentem haec monet:

Mendax forma bonum deficientibus
annis praecipitat, vitrea concuti
dilabi facilis, cerea diffluere[4])
hornae more rosae, quam modo roscidam
cum fovit tepedis mane Favoniis
dissolvit pluviis vesper Etesiis.

In septima autem ode libri IV maiestatis per totum plena ita desperat Dei magnitudinem ullum poetam digne posse celebrare:

quis memoret Deum
late trahentem syrma per aureum
mundi pavimentum sequaci
sidera conglomerare limbo?

Tandem elysii dulcissimam amoenitatem cum describit IV 21, a versu 23–50 pulchriora cecinit quam in ullo recentiorum me legere memini:

Audacior postea IV 32 non ducis indigens „iride vinctus punicea, simul ac somnia non ingrata dispulit, lyra mobilibus ter digitis percussa immemor et ducis nil sectator Horatii sublimis liquidum nititur in aera“.

[1]) His non videtur annumerandus J. H. Schuetz qui in libello „Die allerseligste Jungfrau in der polnischen Poesie, Supplem.-Band II zur Summa Mariana“; Paderborn 1914 iniquius de eo iudicat. Neque enim poesis eius persona mortua vivae faciei superposita dici potest, et multo pluribus nunc doctis auribus per saecula cantabit, quam si arctissimis illis nativae linguae confiniis se inclusisset.

[2]) Praesentia numero, sicut in plerisque poetis, longissime superant: numeravi 2152 (contra perfecta 546, futura 384, plusquamperfecta 13, futura secunda 11).

[3]) Hor. ars 351 sq.

[4]) Hunc versum ad exemplum Hor. II 2, 18 vel Lucr. V 849 cum sequenti voluit synaphia coniungi, at paenultimam syllabam mendose posuit brevem pro longa. cf. Lucian. Mueller, de re metrica MDCCCLXI p. 295.

Plurimos hos circum tacito pede labitur amnis
pumicibusque cavis
per violas lapsae, per declives hyacinthos
exspatiantur aquae.
Lene fluunt rivi: muscosis lene susurrus
murmurat e scopulis.
In vitreo pisces saliunt hilares crystallo,
dulce queruntur aves.
Nec vero, si moesta placent solatia coelo
flebile murmur abest;
Nam sibi dum vestro regemunt ex orbe palumbes
huc sonus ille venit.
Sic dum se viduo solatur carmine turtur,
gaudia nostra placent.
Cetera non desunt. Pronis vindemia pendet
officiosa botris.
Hic etiam vulgo violas, albentia vulgo
unge ligustra leges.
Ipsa tibi, leti sucos oblita priores
mitia poma cadent:
ipsae matura labentur ab arbore ficus
percutientque sinum.
Interea falcem vindemia nescit, aratrum
saucia nescit humus.
Ipsae sponte virent segetes: innoxius ipse
messibus albet ager.
Praebent hospitium platani: praebet formosos
graminis herba toros.

Similia sunt epod. 1, 99–118; 3, 43 sqq.; 8, 63–130.

Haec igitur et talia concinentem fas fuit olim (II 16, 2) dignum se dicere, qui ab aequalibus lauro coronetur:

Nobilis Orphei
non erubescendum nepotem
Sarmatica redimite lauru et
longa sonantem nec tenui lyra
audite vatem.

Huic tamen (ut iam finis sit) quamvis sincerae suae dignitatis agnitioni, liceat iterum conferri testimonium, quo ostendatur,

quam longe afuerit ab omni vana gloria. Cum enim IV 29 suis popularibus feliciora tempora vaticinatus esset olim post victorias futura, egregium illud carmen his absolvit:

Haec vera dicar tunc ego praescius
dixisse vates: tunc mea carmina
discenda grandaevi parentes
virginibus puerisque dicent.
Frustra: nam in urna surdus et immemor
iacebo pulvis. Me tamen integrae
lauri coronabunt iacentem, et
circum hederae violaeque serpent.

INDEX

VITA

Ferdinandus M. Mueller natus XVI Kal. Oct. MDCCCLXXVI Sentiaci ad Rhenum patre Jacobo, matre Margarita e gente Schneider, quae ante annos XIV in meliorem patriam transiit, annum agens XVIII religiosae societatis Verbi Divini quae ab exteris missionibus vocatur patrocinio ac moderamini subditus, humaniora studia prope Sablones in Batavis, philosophica vero ac theologica ad S. Gabrielis prope Viennam in Austria post undecim semestria absolvi. Inde ab anno MCMVII postquam sacerdotio sum initiatus, magisterii litterarum munere functus, erumpentis belli necessario otio ad Monacensem universitatem me contuli, cuius etiam nunc civis sum. Doctoribus utebar clarissimis viris Crusio, Paulo Lehmann, Rehm, Th. Schermann, Vollmer, Weyman, quibus omnibus plurimum me debere confiteor. Ceterum, ut consentaneum est, hoc loco grati animi testimonium etiam summo illius quam dixi societatis moderatori ac praesidi palam exhibeo, Nicolao Blum, qui horum mihi studiorum fecit facultatem, denique pariter spectatissimis illis ac reverendis viris, qui me primis Latinitatis elementis et veterum litterarum indelebili amore olim imbuerunt: Joanni Schaefer, Antonio Maul, Augustino Goerlich, quibus gaudeo superstitibus.